habuerint poteſtatem producendi vinum, oleum, & frumenta, A quandocunque vellent. *Dyctis Cretenſis lib.1. & Lycophron.*

Ferdinandus, Rex Hiſpaniæ, confecto decennali bello Granatenſe, novarum rerum laude, tum ſtudiis excitatus, & Chriſtophori columbi conſtantia propè victus, octavo demum anno perbenignè, ea, quæ ad navigationem occiduam, explorandis iis locis faciendam, pertinebant, ſuppeditavit. Pecuniam Ludovicus Sanctangelus, Regiarum rationum ſcriba, Columbo numeravit. Erat ſeptemdecim tantum millium ducatorum: eamque Regi, propter Granatenſe bellum illud exhauſto, mutuam dederat. Sed tantilla pecunia tantùm poſteà ei Regi ex Indiis auri, argentique tulit, ut ſumma, præter margaritas, & gemmas, quæ innumeræ fuerunt, ſexaginta, quos vocant, milliones, feratur exceſſiſſe. *Jo. Metellus.*

* De Sumptu Apophtegmata.

Diogenes, taxabat in hoc hominum inſaniam, quòd res pretioſas minimo emerent, venderentque viliſſimas plurimo. B Statuam enim tribus nummorum millibus emi, cùm farinę chęnis duobus æreis veniret. At ſtatua nihil opus ad vitam, ſine farina vivere non licèt. Conveniebat igitur farinam multo ſtatuis eſſe cariorem, Philoſophus pretia rerum æſtimabat uſu naturali, vulgus æſtimabat ſtulta perſuaſione. *Laert. lib. 6.*

Crateris celebratur ephemeris, ad hunc habens modum: ponito coquo mnas decem, medico drachmam, adulatori talenta decem, conſiliario fumum, ſcorto talentum, philoſopho triobolum. Notabat hominum ſtultitiam, qui in res honeſtas & cum primis neceſſarias minimum ſumerent impendi, ad turgia prodigi. *Laert. lib. 6. cap. 1.*

Carillus, vel Charilaus rogatus, cur comam Lacedæmonii geſtarent? quia ex omnibus, inquit, ornatibus hic eſt minimè ſumptuoſus. *Bruſon. lib. 6. cap. 12. ex Plut.*

Scopas Theſſalus ſtatuarum artifex, demiranti cur in ædibus ſuis Apelles tantùm haberet rerum ſupervacanearum, & inuſitatarum? Immò his, inquit, ſupervacaneis felices ſumus, ac beati, non illis neceſſariis. Cùm ea, quæ ſunt vitæ neceſſaria, ſint ſuapte natura pretioſiſſima: tamen quia quotidiana ſunt, multiſque communia, contemnuntur. Cæterùm, quanti ſint C pretii, declarat extrema neceſſitas: quæ ſi incidat, quilibet libens omnes gemmas, aulæa, & aurum ſuum uno pane commutet. Cætera magis ad oſtentationem pertinent, quàm ad ſalutem. *Eraſm. l. 6. Apoph.*

Herodes ſophiſta viginti pueris ob virtutem compluribus in locis ſtatuas poſuerat. Hac de re cùm accuſaretur à Quintiliis Græciæ præfectis, quod ſupervacaneis impendiis indulgeret: Quid inquit vobis incommodi eſt, ſi ego ludo de ſaxis meis. *Philoſt.*

Leotychidas, cùm cœnaret apud quendam, cerneretque tectum domus ſumptuoſo apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogavit hoſpitem, num ligna apud eos quadrata naſcerentur? Luxuriam, & ſupervacuum ſumptum notans.

Heliogabalus emebat ſibi pretia rerum, quæ menſæ apparabantur, majora quàm eſſent: dicens convivio orexim: quod magis illa juvant, quæ pluris emuntur, ut ait Satyricus. *Æl. Lamprid.*

* Supellex.

Definitio, et Etymologia.

D Supellex, ſive ut veteres dicebant, Supellectilis, teſte Feſto, vocatur à Juriſconſultis domeſticum inſtrumentum patris familias, quo nomine inquit Paulus, continetur menſa, trapezophora, delphicæ, ſubſellia, ſcamna, lecti, culcitræ, thoralia, mappæ villoſæ, vaſa aquaria, pelves, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, capſæ, armaria, vaſa ænea, vitrea, eſcaria, poteria. Hæc *Sipontinus ex 33. Digeſt. de ſupellect. legata. l. 1. & l. ſupellectile. Cicero.* meminit ſupellectilis ex ære. 4. *in Verrem. Virg. autem 2. Georg.*

— viliſque ſupellex
Arbuteæ crates, & myſtica vannus Jacchi.

Moderata commendatur.

Exempla, & Apophtegmata.

Socratis dictum erat, quemadmodum equus non generoſus judicandus eſt, qui inſtructus apparatu magnifico fuerit, ſed qui ab ipſa natura, ac indole egregius eſt: Sic nec vir bonus ex pretioſa ſupellectili, ſed ex animo generoſo judicandus E eſt *apud Stob. ſerm. 1. de Prudentia.*

Musonii autem vox, Quemadmodum equus parvo pretio emptus, & multis uſibus ſerviens præferendus eſt illi, qui magno conſtiterit, & ad pauca utilem operam præſtet: ſic etiam ſupellex vilior, ſed multis uſibus commodior, majoribus facienda eſt, quàm contraria. *Lib. de ſupellectili.* Meminit *Stob. ſerm. 83.*

Clemens *Alex. lib. 2. de Pædag.* dicit alimenta, veſtes, & ſupellectilem rectæ hominis Chriſtiani inſtitutioni debere eſſe conſentaneam, prout fuerit conducibile, accommodatam perſonæ, ætati, ſtudio, tempori.

Tertullianus quoque *l. De habitu muliebri*, graviter invenerunt in hunc utenſilitatis (ut ipſe vocat) hoc eſt, utenſilium luxum. Inter alia, inquit, & annuli ferro fiunt, quædam eſui, & potui vaſcula; ex ære adhuc ſervat memoria antiquitatis. Viderit, ſi etiam ad ſpurca inſtrumenta auri, & argenti demens copia deſervit. Platonis ad hæc teſtimonium adducit, qui minimè laborandum eſſe dicit, ut opes aureas, & argenteas habeamus, atque vaſa inutilia, quæ non cum F uſu neceſſario ſunt conjuncta, ac quorum unumquodque non ad multos uſus accommodari poſſit, contra πολυκτημοσύνην, id eſt, multorum vaſorum poſſeſſionem eſſe reiiciendam.

Quod autem ille de Platone dicit, idem de aliis quoque tum gentilibus, tum perſonis quibuſdam illuſtribus affirmari poteſt, quæ in vaſis, atque ſupellectili frugalitati potius quàm magnificentiæ, atque luxuriæ ſtudendum eſſe exiſtimarunt.

Argis olim in publicis conviviis, Lacedæmone verò in feſtis, ac virginum nuptiis, victoriiſque, ex fictilibus poculis bibere conſueverunt, in Phiditiis autem, aliiſque Sympoſiis ex doliolis fictilibus. *Athen. lib. 6. & 11. cap. 6.* additque ſententiam memorabilem. Natura, inquit, auri, & argenti venas fecit ſubterraneas, earum ἐργασίαν fecit πολύπονον, καὶ χαλεπὴν, ut illorum ſtudioſi magnis cum laboribus ſibi illa comparare cogerentur.

M. Curius Dentatus, cùm interverſæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad ſacrificia conſueverant in medium protulit, juravitque ſe nihil ampliùs de præda hoſtili in domum ſuam convertiſſe. *Plin. de Viris illuſtrib.* Quàm paucis G hodie ducibus, ſeu Capitaneis Chriſtianis hujuſmodi facere jusjurandum liceret?

Catus Ælius, cùm Legati Ætolorum in conſulatu prandentem in fictilibus adiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepit; neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem devicto Perſeo Rege donavit. *Plin. lib. 33. cap. 11.*

Ptolemæus Lagi. F. apud amicos cænitare aſſuetus, ſæpè etiam dormire, ſi quandoque illis reponeret, vaſa commodato ab iiſdem ſumere non verebatur: ſtrangula item, ac id genus alia, quod ipſe in domeſtica ſupellectili nil admodùm præter neceſſaria haberet, *Cæl. lib. 20. c. 24. Antiq. Lect. ex Plut.* Si hanc continentiam cum Chriſtianorum luxu conferas, ſanè diſſimilitudinem invenies: cùm ut tantus Imp. tantum duo pocula aurea poſſediſſe dicitur: ita hodie nullus ferè eſt operarius tam vilis, & abjectus, qui non plura poſſideat.

Invenimus (inquit idem) Legatos Carthaginenſes dixiſſe nullos homines benignius inter ſe vivere, quàm Romanos: eodem enim argento apud omnes cœnitaviſſe ſeipſos.

C. Frabricius Cenſor, ne Imperatores quidem bellicoſos H pluſquam pateram, & ſalinum ex argento habere vetuit, & ut milites vaſis ligneis tantùm uterentur, edixit. *Plin. l. 33. c. 12. Alex. l. 2. c. 29. ex Plut.*

Marcus quoque Cato ſuperior, qui Celtiberos Hiſpaniæ populos, robur provinciæ, ſecundis præliis fregit, cùm totam illam provinciam adminiſtraret, pellibus hædinis pro tapetis uſus eſt. *Val. Max. l. 4. c. 3.*

Publium Cornelium Ruffinum, à quo Lucius Sylla dictator originem duxit, ſtrenuum ducem, bis conſulem, & Dictatura functum. *Plut. Gellius & Valerius* motum Senatu narrat à Cenſoribus Cajo Fabricio, Lucino, Quinto, Æmilio Papo quòd eum comperiſſent argenti facti, id eſt, vaſorum argenteorum (ſic enim Quintus Maximus, ut ait Ulpianus, definit) decem pondo haberet.

Ejuſdem frugalitatis Romanorum veterum in ſupellectili, vaſiſque domeſticis, auctor etiam eſt *Marius in orat. ad Saluſtium:* Ex parente, inquit, meo, & aliis viris ita accepi: Munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibuſque bonis oportere plus gloriæ quàm divitiarum eſſe: arma, non ſupel- A lectilem decori eſſe.

Cicero pro Lucio Flacco. Hæc ratio inquit, ac magnitudo animorum majoribus noſtris fuit, cùm privatis in rebus, ſuiſque ſumptibus minimè contenti, tenuiſſimo cultu viverent in imperio, atque in publica dignitate omnia ad gloriam, ſplendoremque revocarent. Quæritur enim in domeſtica continentiæ laus, in publica dignitas.

Celſus Juriſconſultus etiam ait: Veteres aut fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique ſupellectile fuiſſe uſos, ubi nunc ex argento, auro, & gemmis utuntur.

De veterum Romanorum frugalitate in ſupellectili *vide Juvenalem Satyra* 11. ubi docet illos arma potius, quàm ſupellectilem ornata habuiſſe.

Augustus ſimiliter tenui ſupellectili contentus fuit. *Suetonius in ejus vita*, cujus hæc verba ſunt: Inſtrumenti ejus, & ſupellectilis parſimonia apparet etiam nunc reſiduis lectis, atque menſis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ ſunt. Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili, & modico inſtrato, non valdè pretioſis ſtragulis ornato. Idem tamen, teſte eodem (ſed falsò) in adoleſcentia notatus eſt, & ut B pretioſæ ſupellectilis Corinthiorum præcupidus, & aleæ indulgens (Corinthia vaſa dicta ſunt à materia, quæ Corinthio Achajæ urbe à Romanis incenſa ex variis metallis fuit conflata,) hinc proſcriptionis tempus ad ſtatuam ejus adſcriptum eſt: Pater argentarius, ego Corinthiarius, cum exiſtimaretur quoſdam propter vaſa Corinthia inter præſcriptos curaſſe referendos.

Tiberius Cæſar, (*teſte Suetonio.*) Corinthiorum vaſorum pretia in immenſum exarſiſſe graviter conqueſtus, adhibendum ſupellectili modum cenſuit. *Tacitus l. 2.* ſic ſcribit: Proxima Senatus die multa in luxum civitatis dicta à Quinto Haterio Conſulari, Octavio Frontone prætura functo, decretum, ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret.

Alexander Severus, *teſte Lampridio*, in convivio aurum neſciit, pocula mediocria, ſed nitida ſemper habuit.

Sardolybiles olim aliud vas, aut inſtrumentum non poſſidebant, præter calicem, cultrum, & gladium. *Nicolaus de moribus Gentium. Stob. ſerm. 42. Athenæus lib. 11.*

Noſtris quoque temporibus Turcæ, parva, exigua, atque C vili ſupellectili ſunt contenti.

☞ *Pete aliqua ex Loco de Frugalitate.*

Luxus Reprehenditur.

Cæterùm illam Romanorum frugalitatem tandem luxus inquinavit, poſtquam Aſiam vicerunt, multis id exemplis probat *Plinius lib. 33. cap. 11.*

Teſtantur id vaſa coquinaria ex argento, lecti aurei, & argentei, triclinia, aliaque vaſa, lances precioſiſſimæ, quorum ibidem mentionem facit: Aſia, inquit, primùm devicta luxuriam miſit in Italiam. Siquidem Lucius Scipio tranſtulit in triumpho argenti cælati pondo millia quadrigenta L. & vaſorum aureorum pondo C. millia, anno conditæ Urbis 565. Jam verò Romanorum Impp. præſertim Tiberii, Neronis, Vitellii, Heliogabali, quàm monſtroſa fuerit in hac parte luxuria, *Suetonius, Plinius, Lampridius*, & alii teſtantur.

De Heliogabali vaſis centenariis argenteis, necnon menſis, cacabis argenteis, *Vide Ælium Lampridium, & Crinitum lib. 14. c. 6.* Idem ventris onus auro excepit, in myrrhinis, D & onychiis minxit.

Drusillanus Rotundus Claudii Imp. ſervus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, lancem quinquagenariam habuit argenteam, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat, & comites ejus octingentas quinquaginta octo librarum.

Sybaritarum quoque olim maximus fuit luxus, qui primi amidas excogitarunt, id eſt, matulas, quas conviviis intuliſſe Græci gaudebant. *Athen. lib. 1.*

Xenophon. lib. 8. de diſciplina, ſcribit, Perſas maximè gloriari fuiſſe ſolitos, ſi plura haberent pocula, nec eos pudebat ea ſibi injuſtè comparaſſe, cùm apud eos injuriam, turpiſque lucri ſtudium maximè vigeret.

Hodie quoque apud Chriſtianos multi Perſarum illorum ſimiles, per fas, nefaſque ſupellectilem ſuam augere ſtudent: nec id vitio, ſed laudi vertendum exiſtimant. Neque opus ſanè plura hujuſmodi luxuriæ exempla depromere, cùm perdita hæc tempora talium exemplorum ſint pleniſſima.

Item Sordities.

Quemadmodum verò in ſupellectili vitanda eſt luxuria: ita E danda opera, ut utilia, atque neceſſaria pro facultatum ratione comparentur, ne opus ſit à vicinis ad tædium uſque poſcere cultrum, ſecurim, piſtillum, &c. ut fit apud Plautum in Aulularia. Atque ut Heſiodus fratrem ſuum admonet, ut arma ruſticana domi prius habeat diſpoſita; ita in omnibus vaſis domeſticis fieri debet. Nam etiamſi vicini aliquoties egenti ſubveniant, poſtremò tamen gravatè exhibent, aut recuſant; De quo Heſiodus, cùm prudentiam in nobis requirit.

Δὶς μὲν γὰρ ἢ τρὶς τάχα τεύξεαι· τὴν δ' ἔτι λυπῇς,
χρῆμα μὲν οὐ πρήξεις, σὺ δ' ἐτώσια πόλλ' ἀγορεύσεις.

Improbanda ergo eſt illorum avaritia, qui cùm facultatem habeant utenſilia neceſſaria ſibi comparandi, tamen à vicinis commodatò accipere malunt, ut eo magis illorum malevolentiam, & ſiniſtram avaritiæ ſuſpicionem concilient.

Sunamitis illa vidua multa vaſa vacua, & inania à vicinis, Eliſæi juſſu, commodatò petiit, cùm illa nonniſi unum olearium in ædibus habuiſſet: Sed id ad divinam potentiam ſingulari miraculo declarandam ſpectavit. Eadem vidua ſuæ erga Prophetam gratitudinis teſtificandæ gratia marito ſuo ſuaſit, F ut illum hoſpitio exciperet, eique cum cœnaculum parvum exſtrueret, tum lectum, menſam, ſellam, candelabrum, & omnem ſupellectilem neceſſariam ſubminiſtraret. 2. *Reg.* 4.

Judæorum pauperiem, atque ſupellectilem ſordidam, his verbis perſtringit *Juvenal. Satyra* 3.

Judæis quorum cophinus, fœnumque ſupellex.
Et Sat. 6.
— Cophino, fœnoque relicto.

Cophinus verbum Græcum corbem ſignificat *teſte Priſc. Sidon.* Ordinis res eſt, ut Ægyptius Pharao cum diademate incedat, Iſraelita cum cophino. *Horatius lib. 6. Satyra 3.*

Immane vitium, dare millia terna macello,
Auguſtoque vago piſces urgere catino, &c.

Reprehendit eos, qui in obſoniis quidem coemendis magnum faciunt ſumptum: in ſupellectili autem comparanda, neque ullam curam adhibent: neque quidquam inſumere volunt.

* Supellex Sacra.

Etiam ſupellectilis nomine vocantur vaſa, aliaque utenſilia, quorum uſus eſt in ſacrificiis, templis, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus. De cujus ſumptu, & frugalitate hic nonnulla adiiciemus. G

Apud Judæos.

Judæorum veteris teſtamenti ſupellectilem ſacram, vaſaque omnia ſumptuoſiſſima fuiſſe, & ex auro univerſo, conſtat *lib. 1. Reg. cap. 7. & Exod. c. 25.* ubi de candelabro, ac vaſis fabricandis agitur, & præſcribitur, quænam ſint ad uſum Sanctuarii, & vaſorum comparanda.

Apud Ethnicos.

In ſacrificiis, ſacriſque epulis, Ethnicos veteres vilibus admodùm vaſis uſos fuiſſe legimus.

Varro lib. 4. antiquorum vaſa in ſacris lignea, atque fictilia fuiſſe ſcribit. Harum capedinum, inquit, figuras, in vaſis ſacris ligneas & fictiles antiquas etiam nunc vidimus.

Cicero in Paradoxis, Quid autem, inquit, Numa Pompilius? Minuſne gratas diis immortalibus capedines, & fictiles H urnulas, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? Capedo autem vaſis erat genus in ſacrificiis uſitatum, è capiendo dictum, quia multi liquoris capax erat, ſive, ut vult *Varro*, quod anſatæ, ut prehendi poſſent, id eſt, capi. Filicatas autem appellat, quæ extrinſecùs filicis imagine celatæ erant.

Idem in lib. de Republica: Quæ ſunt, inquit, imperia Pontificum Diis immortalibus grata ſine Samiis? Vaſa Samia hic intelligit, quæ etiam capedines, & capedunculæ appellantur, de quibus plura *Crinitus lib. 22. cap. 10. & lib. 2. de leg.* Ad divos adeunto caſtè, pietatem adhibento, opes amovento. Item aurum & argentum in urbibus, & privatim in prophanis invidioſa res eſt.

Plin. lib. 35. cap. 12. In ſacris quidam, inquit, inter has opes, non myrrhinis, cryſtallinis, ſed fictilibus prolibabatur ſympulis innocentius, templorum quoque faſtigia fictilibus ornabantur. Idem ſentit Apulejus.

M. Curius Dentatus cado ligneo ad ſacrificia uſus fuit. *Plin. de viris illuſtribus.*

A PORPHYRIUS διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις καὶ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιίας τούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον. quod ita ſonat Latinè. Idcirco & fictilibus vaſis utebantur, atque ligneis, plectilibus præſertim ad publica ſacrificia: hiſce enim perſuaſum habebat numen delectari.

Dion, Halicarnaſ. Antiq. Roman. lib. 2. Romanos antiquos ſacris ædibus diis ſuis epulas apponere ſolitos ſcribit in menſis ligneis, in caniſtris, atque patinis fictilibus. Et libationes olim dicit miſceri ſolitas, non in aureis & argenteis vaſis, ſed in teſtaceis κυλίσκαις καὶ προχόοις, id eſt, culiginis & ampullis, qua hominum in ritu patrio conſtantia plurimum ſe delectatum eſſe ſcribit, nihil ex antiquis ſacris εἰς ἀλαζόνα πολυτέλειαν hoc eſt, in luxuriam ſuperbam demutantium. Huc illud *Perſianum*.

Dicite Pontifices in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ, &c.

B Quem verſum S. Bernardus immutavit, cùm ſua ætate aurum in ephippiis equorum quidam haberent:

Dicit Pontifices in fræno quid facit aurum?

Et: *Aurum vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra,*
Veſtaleſque urnas, & Thuſcum fictile mutat.

ALEXANDER Severus, *Teſte Ælio Lampridio*, in templis quam præter quatuor, aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam poſuit, ſuſurrans prædictum Perſei verbum. *Hæc de Ethnicis.*

APUD CHRISTIANOS.

Quoad novum Teſtamentum, *Clemens Alexandrinus lib.* 2. *pædag. cap.* 3. diſputans non nimium eſſe ſtudii, atque impenſarum in ſumptuoſam vaſorum ſupellectilem conferendum, inter alias ipſius Chriſti exemplum producit, qui, ut ipſe ait, τρυβλίῳ ἐπὶ ψάτω ἁπλῇ, id eſt, vili catino cibum ſumpſit, (unde *Brodæus Miſcellan. lib.* 4. *cap.* 19 vas illud pulcherrimum quod Genuæ ſpectatur, ſive è ſmaragdo, ſive alia inſigni gemma conſtet, negat lancem illam fuiſſe, in quam Chriſtus manum cum Juda immiſit) fecitque diſcipulos ſuos ſuper herbam accumbere, & pedes eorum lavit linteo accinctus, Deus C ἄτυφος, id eſt, à faſtu alienus, & dominus omnium. Et à Samaritana potum petiit, quæ aquam vaſe fictili hauriebat è puteo, aurum regale non requirens, ſitim autem docens facilè extinguere, multa in hanc ſententiam reperies apud *S. Chryſ. hom.* 51. *in Matth.*

In Rhemenſi Concilio cautum eſt, ne in ligneo vaſe Sacerdos rem divinam faceret, propter materiæ raritatem; qua liquor imbibitur, neque vitreo, quia fragile, neque metallo ob tetrum ſaporem, quem indè concipit, ſed in auro, aut argento, aut ſi utrumque deſit, in ſtanno, *teſte Gratiano.*

CONSTANTINUS Magnus vaſis aureis, & argenteis mirum in modum templa locupletavit: ſed Julianus Apoſtata non multò poſt ea diripuit, ut hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur.

Hujuſmodi fuerunt, quæ à *Rhenano in annot. lib. Tertull. de corona milit.* prodita ſunt, de ſupellectili ſacra Eccleſiæ Moguntiacenſis; nempe aurei calices ingentis ponderis, cruces aureæ, grues argenteæ odorem impoſitorum, in cavo ventre thymiamatum per roſtra, ac colla mira arte exhalantes juxta aram maximam, veſtes ſacræ auro intexto rigentes, gemmæ incomparabiles: fiſtulæ argenteæ ſex ad Sacroſancti ſanguinis uſum deſtinatæ.

D JUSTINIANUS Imp. *teſte Cedreno*, ſacram menſam fecit, opus ſanè admirabile, & nulla imitatione æquandum. Conſtabat auro, argento, & omnis generis lapidibus, lignis, metallis, omnibuſque rebus, quas terra fert, & mare, & totus mundus, omni materia pretioſiora plura, viliora, pauciora, collegerat, liquatiſque iis, quæ fluunt, ſicca illis immiſerat, atque in formam menſæ abſolverat.

☞ *Nonnulla ad hunc Locum referri poſſunt ex Loco de S. Maria Dei Matre, Tit. de Donariis variis in Oratoria ejuſdem datis. Item ex Loco de Sumptu ſuprà, nonnulla & Loco de Templis.*

☞ *Vide etiam multa ad Locum præſentem illuſtrandum, maximè ubi de vaſis Sacris tractat in Loco de Vaſis. Ubi nonnulla ſatis curioſa, & jucunda proferuntur, pro Argumenti hujus pleniori declaratione.*

* Superbia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

E SUPERBIA, quæ per exceſſum humilitati opponitur, dicitur à ſuper & eo, quod nempe ſupra menſuram erat; juxta illud *Pſal.* 130. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Definitur autem à *D. Auguſtino lib.* 14. *de Civitate c.* 3. perverſæ celſitudinis appetitus, & à *Proſpero ſent.* 292. amor, ſcilicet inordinatus propriæ excellentiæ. Ubi verba [perverſæ celſitudinis: item inordinatus] inſinuant vitium ſuperbiæ eſſe in appetitu, qui ſit contra rectam rationem; dum enim ſuperbus conſiderat ſuam perfectionem, & dignitatem, fit, ut appetat excellentiam majorem quam reverà illi competit, cum potius omnia in Deum referre deberet. Unde vocant eum primum actum completum ſuperbiæ, dum quis non attentis propriis imperfectionibus ſeipſum magni facit, & æſtimat ſupra id, quod revera F eſt. Exhinc enim ſequitur contemptus aliorum: appetitus dignitatum, & aliorum quæ ad excellentiam ſpectant, quæ ſibi congruere arbitratur: dolor, & ira, ſi non conſequatur: rebellio ſuperiorum quibus ſe præfert. Immò etiam erga Deum, quo opus vix ſe habere æſtimat, confiſus in dotibus ſuis, quaſi eas ab illo non haberet. Superbia Græcè dicitur περηφανία, Hebraicè *Ghaon*, à *Gaath*, quod eſt intumuit, gloriatus eſt.

SPECIES.

D. Gregorius l. 23. *Mor. c.* 7. quatuor conſtituit ſpecies ſuperbiæ. Quatuor, inquit, ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur: Cùm bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant, aut ſi ſibi datum deſuper credant, pro ſuis ſe id accepiſſe meritis credunt: aut certè cùm jactant ſe habere, quod non habent: aut cæteris deſpectis, ſingulariter videri appetunt, quod non habent. Unde verſus:

Ex ſe ſe, pro meritis, falsò, plus omnibus, inſtant.

Eaſdem ſpecies etiam Apoſtolorum inculcare advertit S. Thomas Corinthiis, *Epiſt.* 1. *c.* 4. ubi ſcribit. Quid ha- G bes, quod non accepiſti: & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? an primam, & ſecundam ſpeciem: tum ſequitur. Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis, en tertiam, quartam porrò tangit dicendo, Sine nobis regnatis, id eſt, ſine auxilio noſtro omnibus Dei bonis excellere, & triumphare vos putatis.

Ratio harum ſpecierum eſt: Superbia conſiſtit in eo quòd homo ſe æſtimet excellentiorem, quam revera ſit: Hoc autem fieri poteſt tripliciter. Primò ſi putet ſe eſſe cauſam ſui boni: magni enim refert ad excellentiam, ſi ſua induſtria, vel meritis bonum illud ſit conſecutus. Secundò, ſi putet ſe habere bonum, quod non habet. Tertiò, ſi putet ſe habere tam excellenti gradu, ut id, quod eſt in ceteris, quaſi nihil reputet reſpectu ſui boni. Et quidem ſi putet ſe cauſam ſui boni, vel cenſet ſe cauſam illius Phyſicam, (v. g. ſe induſtria, ingenio & labore id comparaſſe, cùm aliunde acceperit) & ſic erit prima ſpecies: vel cauſam meritoriam; & ſic erit ſecunda ſpecies. Si putet ſe habere bonum, quod non habet, vel in eo ſitam excellentiam quæ non eſt, & indè ſe extollat, erit tertia ſpecies. Denique ſi putet ſe illud habere tam excellenti gradu, reſpectu aliorum, ut illorum bona non videantur ipſi cum ſuo poſſe conferri, erit quarta ſpecies. H

Adverte non eſſe neceſſarium ad iſtas ſpecies, ut quis apud animum ſuum ſeriò judicet, ſe bona à ſe habere, aut ſuis meritis abſque Dei gratia obtinuiſſe: (ſic enim deberet eſſe hæreticus) ſed ſatis eſt, ut apprehendat illa tanquam ſua, & à ſe dependentia, abſque formali judicio, & ſimul non conſideret, quo modo illud acceperit, tunc enim poterit ſe ita gerere, & in animo ſe extollere, ac ſi ſola ſua induſtria haberet, ut patet in paupere, qui alienis opibus affatim fruens, non aliter ſe effert quam ſi eſſent ſuæ, vel ſua induſtria partæ, quia non meminit, vel certæ non advertit eſſe beneficium alterius; quamvis expreſsè id non neget, nec contrarium judicet.

EARUNDEM EXERCITIUM.

Supradictas ſingulas ſpecies quatuor modis exerceri contingit. Primò, ſi exiſtimes bonum tuum juxta aliquam iſtarum ſpecierum in animo tuo, & ibi te extollas, v. g. te illud induſtria tua paraſſe, vel ex meritis habere, vel illud majus eſſe quàm ſis, vel cæteris te per hoc longè præſtare.

Secun-

Secundò, ſi velis ut ita etiam æſtimetur in animo alterius.

A Tertiò, ſi coneris illud ipſum opere declarare: ut ſi ita te opere externo geras, ita loquaris, ac ſi illud bonum tali modo, tali gradu, ac perfectione haberes.

Quartò, ſi advertens te tali modo non habere, optes ſaltem ita habere, ut inde te poſſis extollere, & gloriari: item ſi deſideres id aliis eſſe perſuaſum de hac re, *vide Toletum lib. de* 7. *peccatis mortalibus cap.* 4.

SUPERBIÆ ENORMITAS.

D. Thomas art. 5. *q.* 162. *in* 2. 2. docet ex genere ſuo eſſe peccatum mortiferum, *& art.* 6. docet eſſe graviſſimum peccatorum. Sed hoc intelligendum eſt de ſuperbia in gradu completo, quæ omnem humilitatem, & ſubjectionem excludit, ut cùm quis tantum ſeſe effert, ut nolit etiam Deo, & legi divinæ eſſe ſubjectus, qualis eſt in diabolo, & hominibus quibuſdam peſſimis. Hæc ſola eſt ſuperbia completa: quia quamdiu homo vult manere Deo ſubjectus, adhuc habet aliquid humilitatis, ac proinde ſuperbia ejus eſt adhuc imperfecta.

Dicitur autem graviſſimum peccatorum, non quod inter B omnes peccatorum ſpecies ſit graviſſimum, cùm odium Dei ſit gravius: ſed quia ad genus graviſſimorum pertinet, nempe eorum, in quibus averſio à Deo eſt directè volita. Itaque dicitur graviſſimum reſpectu eorum in quibus averſio ſolùm cenſetur volita interpretativè; ut ſunt, quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicujus boni temporalis amore committuntur.

Eſt autem ſuperbia primum mundi peccatum. *Eccl.* 10. Initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, implebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem.

Tob. 4. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio, nam primum peccatum fuit Luciferi, qui peccavit ſuperbia, divinam ſimilitudinem appetendo. Colligitur *Iſa.* 14. & *Ezech.* 28. à peccato autem Luciferi reliqua manarunt, tum in alios Angelos, qui etiam primò ſuperbia dicuntur peccaſſe tum in genus humanum, cujus etiam primum peccatum ſuperbia fuit, ut communiter Theologi tradunt.

Gregorius lib. 31. *Moral.* Radix cuncti mali ſuperbia eſt, de qua Scriptura atteſtante dicitur: Initium omnis peccati eſt ſuperbia. Primæ autem ejus ſoboles ſeptem nimirum C principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: ſcilicet inanis gloria, ira, invidia, triſtitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Sed habent contra nos hæc ſingula exercitum ſuum. Nam de inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & novitatum præſumptiones oriuntur.

B. Proſper de vita contemplativa lib. 3. *cap.* 2. Initium, inquit Scriptura, non alicujus, ſed omnis peccati ſuperbia, ut evidenter oſtenderet, quòd ipſa ſit peccatorum omnium cauſa: quoniam non ſolùm peccatum eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa: ſiquidem nihil aliud omne peccatum niſi Dei contemptus eſt, quo ejus præcepta calcantur.

Cæterùm ſuperbia ab eodem *D. Gregorio lib.* 31. *Moral. c.* 31. non annumeratur aliis vitiis capitalibus, ſed ponitur regina, & mater omnium vitiorum, propter univerſalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia; & quia interpretativè in omni vitio includitur. Unde loco citato ſic ait: Tentantia vitia, quæ inviſibili contra nos prælio regnanti ſuper ſe ſuperbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus ſequuntur. *Et infra:* ipſa namque vitiorum regina ſuperbia, D cùm devictum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibuſdam ſuis ducibus devaſtandum tradit. Rurſum: Radix, inquit, cuncti mali ſuperbia.

Caſſianus lib. 5. *cap.* 1. & alii numerant inter vitia capitalia, eaque octo ſtatuunt: ſed modus Gregorii magis eſt receptus.

DESCRIPTIO, ET MALA.

Culmen ad ſuperos niti, cæloque propinquum
It gravis, & raro ingreſſu veſtigia profert.
Strimonia de more gruis, quæ ſemina campis.
Jacta legens, aqueæ tepido ſub ſidere libræ:
Si vicina ferat greſſum per rura viator,
Tela ferens, arcumque manu, caput ardua tollens
Clangit, & ingenti movet internodia paſſu,
Paulatimque viam ſuſpenſo gutture carpit,
Cùm bellator equus domini frænatus habenis.
Oſtentans pectus latum, cervice ſub alta
Conglomerat bibulo lentos in pulvere greſſus, E
Nunc hac, nunc illac oculos, & colla retorquens
Spectari gaudet, Libycoſque æquare leones
Viribus, Albanoſque canes, dum ſe putat annis,
Colligit, & latis imitatur naribus Eurum,
Non ſecus ac rabies ventoſo inflatior utre,
Cùm graditur vibrans alternis motibus armos,
Ardua ſublatæ circumfert lumina frontis,
Vanamque proceri imitatur corporis umbram.
Et tacitis ardens curis, ſublimia ſemper
Mente agitat; tumidoque ſedet ſub corde venenum
Contentrix inopum, vultus elata ſeveros:
Inflatoque rotans turgentia gutture verba,
Ferre nequit juga, majorem indignata, paremque
Imperia uſurpat, regnique libidine fervet.
Immanſueta ferox miſeris adverſa, minaxque,
Mitibus elatis contraria neſcia pacis,
Neſcia amicitiæ, rixarum, & litis origo,
Dura, ingrata, duplex animo, violenta, rebellis,
Improba quid pietas, & quid clementia neſcit, F
Perfida, fœdifragam dubio ſub pectore mentem
Verſat, ab excelſo fugientia culmine ſemper
Saxa movet, laudum ſemper veſana libido,
Sollicitum pectus curis flammantibus urget.
Nec vitæ ratio, nec opum, nec honoris in omne
Sponte ſcelus præceps ruit implacabile monſtrum.

Ejus autem mala, quæcumque ſecum trahit incommoda, *Eccleſiaſticus* eleganter depingit *cap.* 10. eaque ita verſibus reddita:

Nam domino res eſt exoſa ſuperbia cœli,
Nec minus quotquot terrea regna tenent.
Heu mihi quid jactas, quid pulvis, & umbra ſuperbis
Immundum in vivis dum datur eſſe lutum?
Sæpe licet medicus quaſſata ſarciat herbis,
Membra, velut fumi præterit umbra tamen.
Et qui Rex nuper vario fulgebat amictu,
Mox jacet injecta vile cadaver humo.
Vipereos nutrit defuncto corpore dentes,
Grataque fit paſtu vermibus eſca feris.
Provenit ex prima ſcelerata ſuperbia cauſa, G
Divina ſi quis de bonitate cadit.
A factore ſuo declinans perfida corda
Deſciſcit, verum deſerit atque Deum.
Illaque cunctorum radix eſt, prima malorum
Ex illo vitium provenit omne lacu.
Plenaque ſunt cujus tumido præcordia faſtu,
Multis damna dabit, maxima dira foret.
Inde ſuperborum turbam regnator Olympi
Privavit, nullo paſſus honore frui.
Dejecit faſtum, quibus ipſe agnovit ineſſe,
Deſtruxit, ſolitos nil niſi magna loqui.
Grandia ſpirantes ſumma de ſede tyrannos
Rex ſummus pœna præcipitavit acri.
Illorumque vices humi conceſſit habendas,
Submiſſis animo ſceptra gerenda dedit.
Sic extirpavit gentes radicitus omnes,
Nulla quibus dominum noſcere cura fuit.
Ipſe ſuis humilis dextris inſevit & illos
Creſcere juſſit humo luxuriante nimis.
Evertit populos, & prorſus perdidit omnes,
A ſe compoſitos qui coluere Deos.
Ex Domini nutu gens hæc exaruit almo, H
Nomen & in terris non licet eſſe malum.
Non etenim ad faſtum genus eſt mortale creatum,
Præcipuum nec opus trux decet ira Dei.
Humano cuncti exornantur ſemine nati,
Qui duro dominum corde timere ſolent.

Baptiſta quoque *Mantuanus* calamitatem ſui temporis in hoc vitium reiicit: eamque his verſibus depingit.

Evolat horriſono rapidi Phlegetontis ab amne,
Ingenti alarum ſtridente ſuperbia ductu:
Sic illam dixere, etenim ſuper æthera ſeſe
Tollit, & extenſo ſocios ſupervenit ore:
Omnia convolvens cæca de ſede barathri.
Crimina nigrantem poſt te trahit omnia pompam
Hujus ab ardenti vitioſus anhelitus ore
Fumat, & obſcuris oriens à faucibus humor
Defluit Hippomanes aconita, caniſque virentem,

Tenarii

Tenarii ſpumam ſuperans , omnemque veneni
A *Mortiferam rabiem : Stygii lex una profundi,*
Se Superum genus eſſe putat , veterumque Deorum
Semen , & egregio ſe jactat Apolline natam:
Ardua frons , unoque oculo velata , rotundi
Circuitu medioque ſedens in Luminis orbe.
Diſceſſit ſpatia æqualibus undique centum,
Hoc inſigne patris Phœbique ardentis imago
Difficili vultu graditur, geſtuque maligno.
Innocuos, miteſque animos & ſpernit, & odit,
Cùm videt æternis illuſtrem laudibus altum
Per virtutis iter veri conſcendere honoris.

GRADUS.

S.Bernardus Tractat.de Gradib.Humilitatis conſtituit duodecim gradus Superbiæ , Humilitatis gradibus directè oppoſitos, quos & pulcherrimè explicat. 1. Curioſitas. 2. Levitas animi. 3. Inepta lætitia. 4. Jactantia. 5. Singularitas. 6. Arrogantia. 7. Præſumptio. 8. Defenſio peccatorum. 9. Simulata confeſſio. 10. Rebellio. 11. Libertas peccandi. 12. Conſuetudo peccandi.

B De his ſpeciatim videatur S. BERNARDUS , qui dicit hos 12. gradus revocari poſſe ad tres , nam in 6. primis eſt contemptus fratrum ; in quatuor ſequentibus contemptus ſuperioris; in duobus poſtremis contemptus Dei.

* EXEMPLA SUPERBORUM.
EX S. SCRIPTURA.

EVA propter appetitum excellentiæ, cùm audiſſet à ſerpente, Eritis ſicut Dii: de ligno vetito comedit. *Gen.* 3.

Superbia Volentium ædificare turrim uſque ad cælum damnata fuit per confuſionem linguarum. *Gen.* 12.

AGAR, ancilla Sarai, concepiſſe ſe videns, dominam ſuam deſpexit. *Gen.* 16.

Nimis ſuperbè reſpondit PHARAO, quando dixit : Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam, ſed in mari ſubmerſus eſt. *Exod.* 5. & 14.

Rebellio Chore, & aliorum facta contra Moyſen, ex ſuperbia proceſſit . Nam dixit illis Moyſes: Multum erigimini filii Levi. Quibus malè ceſſit. *Num.* 16.

Percuſſus ABIMELECH à muliere, vocavit armigerum ſuum, C & ait ei : Percute me, ne dicatur, quia à fœmina interfectus ſum ; Et malè periit. *Judic.* 9.

SAUL petiit à Samuele, ut eum coram ſenioribus populi honoraret. 1. *Reg.* 15.

Graviter fuit punitum elationis peccatum , quando DAVID fecit numerari populum ſibi ſubjectum. 2. *Reg.* 24.

Libido, quam habuit JEROBOAM dominandi , timens ne populus reverteretur ad domum David , fecit eum excogitare vitulos aureos, quos fecit à populo adorari , & maluit eos recedere à Deo ſuo , quàm à Domino ſuo. 3. *Reg.* 12.

Superbè nimis nunciari fecit Ezechiæ Rex Aſſyriorum, dicens , quod neque Deus, neque homo poſſet eum liberare de manu ſua. 4. *Reg.* 19.

Poſt victoriam obtentam de ARPHAXAD Rege Judæorum , exaltatum eſt regnum Regis Nabuchodon. Aſſyriorum , & cor ejus elevatum eſt. *Judic.* 1.

Præceperat NABUCHODONOSOR Holoferni, ut omnes Deos terræ exterminaret , ut ipſe ſolus Deus diceretur ab his regionibus , quæ potuiſſent Holofernis poteſtati ſubjugari , ſed D malè ceſſit. *Judic.* 1. & 3.

Videns ſuperbus AMAN, quòd Mardochæus ipſum adorare nolebat, ſuaſit Regi, ut totus Judæorum populus deleretur . *Eſth.* 3. & 5.

AMAN ſuperbiſſimus volebat coram ſe genuflecti, & ab hominibus adorari. Sed notabile eſt, quòd illa ſuperbia tot mala in ſeipſa cauſavit , ut iratus, & indignans exiſteret, & omnia alia, quæ habebat, quaſi nihil reputaret. *Eodem.*

Signa ſuperbiæ deteſtatur Dominus per Iſaiam , dicens : Pro eò quod elevatæ ſunt ſuperbæ filiæ Sion , ambulaverunt collo extento , &c. decalcabit Dominus verticem filiarum Sion. *Iſa.* 3.

De NABUCHODONOSOR intelligitur ad litteram illud Iſaiæ. In cælum aſcendam dicebat, &c. ſimilis ero altiſſimo. Veruntamen ad inferna detraheris. *Iſa.* 14.

De MOAB dicitur : Audivimus ſuperbiam Moab , ſuperbus eſt valde , ſuperbia ejus , & arrogantia ejus , & indignatio ejus pluſquam fortitudo ejus . Idcirco ululabit Moab. *Iſa.* 16.

Quoniam elevatum fuit cor NABUCHODONOSOR regis Babylonis , & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam , depoſitus eſt de ſolio ſuo, & gloria ejus ablata eſt. *Dan.* 5. E

BALTHASAR filius Nabuchodonoſor Rex Babylonis non humiliavit cor ſuum, ſed adversùs dominatorem cæli elevatus eſt, & ideò interfectus eſt, & Darius Medus ſucceſſit in regno. *Eodem.*

ANTIOCHUS aſcendit Jeroſolymam in multitudine gravi, & intravit in ſanctificationem cum ſuperbia , & accepit altare aureum, &c. 1. *Machab.* 1.

SERON princeps exercitus Syriæ ait : Faciam mihi nomen , & glorificabor in regno. Et contriſtatus eſt. 1. *Machab.* 3.

Dixerunt illi, Quos dimiſit JUDAS Machabæus ad cuſtodiam terræ, dum iret ad prælium : Faciamus nomen, & eamus pugnare contra gentes, &c. Et malè ceſſit eis. 1. *Machab.* 5.

Cùm audiſſet NICANOR holocauſta, quæ offerebantur à Judæis pro rege irridens ſprevit, & loquutus eſt ſuperbè . Et cecidit primus in prælio. 1. *Mach.* 7.

ANTIOCHUS æſtimabat ſe præ ſuperbia terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem, ſed aliter evenit. 2. *Mach.* 5.

NICANOR veniens ad pugnandum contra Juda , & ſocios F ejus, ita credebat eſſe ſecurus de victoria , quòd vendebat Judæos, antequam in campo videret eos . Sed ei malè ſucceſſit . 2. *Mach.* 8.

Fugatus turpiter ANTIOCHUS de Perſide ſuperbè loquutus eſt, ſe venturum Jeroſolymam , & congeriem ſepulchri Judæorum eam facturum : ſed Deus percuſſit eum inſanabili plaga. 2. *Mach.* 9.

NICANOR Judæis dicentibus: Eſt Dominus potens in cælo, qui juſſit agi diem ſeptimum . Et ego , inquit , potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negocia Regis impleri ; ſequitur : Et in ſumma ſuperbia erectus, cogitaverat commune trophæum ſtatuere de Juda . Sed cito ruit cum armis ſuis , 2. *Mach.* 15.

Cùm dixiſſent Diſcipuli : Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo , compeſcuit eos Dominus dicens: Videbam Sathanam ſicut fulgur cadentem de cœlo, &c. In hoc tamen nolite gaudere. *Luc.* 10.

Superbia PHARISÆI, qui ſe jactabat, & proximum condemnabat , damnatur. *Luc.* 18.

Statuto die , HERODES veſtitus veſte regali , ſedit pro G Tribunali, & concionabatur ad populum. Populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis . Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini , eò quòd non dediſſet gloriam , & honorem Deo , & conſumptus à vermibus expiravit . *Actor.* 12.

HISTORICA.

Mæandro fluvio duo fuere filii , quorum BABYS ſolitus eſt unica tibia canere, MARSYAS duabus , Phrygio more . Cùm autem ſuum uterque chorum haberet, & Babys inſcitè tractaret tibiam, frater eò inſolentiæ elatus eſt , ut Apollinem quoque præ ſe contemneret . A quo cùm eſſet excoriatus, jamque Babyi ſimilis pœna pararetur , Palladis interventu exemptus eſt ſupplicio. *Eraſm. in Adag.*

EVAGORAS Cypri tyrannus, Salamine à Teribazo Artaxerxis Regis Perſarum polemarcho obſeſſus , & à ſociis relictus, de ſolvenda obſidione legatos mittere coactus fuit . Teribazus , ſoluturum ſe obſidionem reſpondit , ſi Evagoras relictis omnibus Cypri urbibus diſcedere inde, & velut unius Sa- H laminis Rex ſtatim anniverſarium tributum Perſarum Regi perſolvere, necnon omnia ad nutum ejus, tanquam ſervus heri ſui, facere vellet. Ad quæ Evagoras, etſi dura ſibi conditio videretur, omnia tamen annuit, præter unum illud, quò ad nutum ejus tanquam ſervus heri ſui facere omnia vellet : dicebat enim, ſe ut Regem Regi ſubjectum fore . Cui Teribazus cùm nollet obtemperare, Orontes alter dux invidens Teribazi gloriæ, literas clam ad Artaxerxem contra Teribazum miſit. Rex Orontæ reſcripſit, ut captum Teribazum ad ſe mitteret . Quo mandatum hoc exequente, ad Regem Teribazus ducitur. Orontes verò cum copiis in Cyprum profectus, videns & Evagoram non minus fortiter quàm antea obſidioni reſiſtere , & milites Teribazi captivitatem ægrè ferentes officium facere nolle, mittit ad Evagoram nunciaturos de ſolvenda obſidione, & hortaturos ſimul, ut iis ipſis nunc conditionibus pacem cum Oronte conſtituat, quibus anteà cum Teribazo voluiſſet. Quo audito Evagoras ſupra modum gaviſus eſt , ac pacem hiſce conditionibus conſtituit : ut Salaminis ipſe Rex eſſet , & anniverſariorum tributum conſtitutum Perſarum Regi perſolueret,

ſolueret, denique tanquam Rex Regi præcipienti auſcultaret. A Sic bellum Cypriacum fermè decennale (cujus tamen temporis pars præcipua in ſolo apparatu inſumpta fuit) poſtquam duobus continuis annis pugnatum eſſet, finem accepit. *Diod. l.* 15.

PAUSANIAS, Lacedæmoniorum Dux , ad Platæas victor contra Mardonium , cùm de manubiis tripodem auream Delphis votum ſolviſſet, ſuumque nomen inſcriberet: Lacedæmonii pertæſi inſolentiam, epigramma induxerunt, & civitatum nomina inſcripſerunt. *Herodot.*

Cùm aliquando Sertorium L. METELLUS in Hiſpania acie fudiſſet, uſque adeò extulit ſe, & proſpero caſu exultavit, ut Imperatorem ſe ſit ſalutari paſſus; ſacrificiis autem eum oppida ingredientem, atque aris ei dicatis exciperent. Memorant eum coronas quoque imponi capiti ſuo permiſiſſe, cœniſque indulſiſſe faſtuſioribus, in quibus veſte triumphali amictus potabat. Victoriæ fictæ epidromibus deſcendebant, quæ aurea trophæa, & coronas transferebant. Chori puerorum, & virginum cantilenas triumphales in laudem ejus canebant. Qua in re ridiculus meritò erat: quod cum Syllæ fugitivum, & reliquias Carbonianorum exulum appellaret Sertorium, ita ja- B ctabundus evaſerit, exultaveritque, quia impulerat cedentem. *Plut. in Sertorio.*

JULIANUS Imp. quinquennalia edens, ambitioſo diademate uſus eſt gemmarum fulgore diſtincto, cùm initio principatus coronam vilem Zitharchæ purpurato ſimilis geſtare conſueviſſet : & ſe Conſtantii autem apertè profiteri cœpit. *Sigon. lib. 6. Imp. occid.*

MAXIMINUS Junior in ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & genua ſibi oſculari patiebatur, nonnunquam etiam pedes , quod nunquam paſſus eſt Senior Maximinus, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat. Cùm pater pleriſque honoratis aſſurgeret, ille reſidebat. Uſus eſt & aurea lorica exemplo Ptolemæorum, uſus eſt argentea, uſus & clypeo gemmato inaurato, & haſta inaurata. Fecit & ſpatas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quidquid ejus pulchritudinem poſſet juvare. Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas. *Capitolin. in Maximino Juniore.*

Refert *Joſeph. à Coſta lib. 2. de Tempor. Noviſſ. cap.* 11. memorabilem hanc hiſtoriam. Fuit in Peruenſi regno vir magnus pro illo tempore æſtimatus doctus Theologus, ac Theolog. profeſſor, idemque Catholicus, & pius diù habitus, ac pe- C nè tunc hujus urbis oraculum. Is familiaritate mulierculæ cujuſpiam, quæ ſe edoceri ab angelo magna quædam myſteria jactabat, quæque extra ſe interdum rapiebatur, aut rapi ſimulabat, veluti altera olim Philumena , aut Maximilla Montani, ita devinctus eſt , ut illam de ſummis Theologiæ quæſtionibus ſæpè conſuleret. In omnibus pro oraculo haberet magnis revelationibus plenam, & Deo valdè charam prædicaret, ſatis alioqui ſordidam, & perexiguo ſenſu præditam, niſi ad inſtruenda mendacia: igitur ſive à Diabolo corriperetur (quod facilius eſt credere) cùm ejuſmodi extaſim pateretur, ſive callidè eam fabulam ſimularet, quod nonnulli viri prudentes exiſtimarunt, ille Theologus, quòd muliercula magna, & mira de ſe audiret, ac multò grandiora futura conciperet, libenter ei ſe diſcipulum addixit, cujus patrem ſpiritualem agebat. Quid multa? eò abductus eſt homo, ut miracula facere tentaret, & fieri ſibi perſuaderet. Cùm miraculi veſtigium ne tenue quidem extaret. Ob hæc, & quod propoſitiones aliquot ab illa Prophetiſſa accepiſſet, à ſenſu Catholicæ Eccleſiæ alienas, à ſanctiſſimæ Inquiſitionis judicibus toto hoc regno ſtupente comprehenſus eſt: ibi per quinquennium ferè auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus eſt, homo omnium ſuperbiſſimus, & inſaniſſimus . D Cùm enim Angelum ſibi divinitus datum, à quo omnia, quæ vellet diſceret, ac deinde ſumma Dei ipſius familiaritate, & immediato colloquio ſe potitum pertinaciſſimè aſſerebat; in in eas nugas delatus eſt , quas niſi ab homine prorſus mentis emotæ dici nullo modo quiſquam ſibi perſuadeat. Erat verò ille tam integro ſenſu, quod ad cerebrum attinet; ut mihi integrior non ſit. Itaque & ſeriò affirmabat, ſe & Regem futurum, & Pontificem ſummum, Sede Apoſtolica ad hæc regna translata, conceſſam quoque ſibi ſanctitatem ſuper omnes Angelos, & choros cœleſtes, atque Apoſtolos omnes, quin etiam oblatam ipſi à Deo unionem hypoſtaticam, ſed ab ipſo non eſſe admiſſam. Datum quoque ſe redemptorem orbis, quoad efficaciam, ut ille loquebatur, quod Chriſtus ſolùm quoad ſufficientiam fuiſſet. Omnem ſtatum Eccleſiaſticum abrogandum : Leges verò alias ſe editurum faciles, & apertas, ſecundùm quas cœlibatus clericorum tolleretur , multitudo uxorum concederetur, confeſſionis neceſſitas excluderetur. Hæc, atque alia tanta contentione affirmabat, ut nos teneret attonitos, quòd homo talia ſentiens non inſaniret . E Denique diù evolutis geſtis illius, & pluſquam centum, & decem propoſitionibus hæreticis, aut a ſana Eccleſiæ doctrina alienis condemnatis, juſſi ſumus, ut habet de more ſacrum illud tribunal, cum homine diſputare, ſi fortè ad mentem, & fidem revocare poſſemus. Convenimus autem cum ipſis judicibus, & Epiſcopo Quitenſi tres alii. Eò introductus homo ea libertate, & facundia perditiſſimam ſuam cauſam defendit, ut ego in hodiernum diem etiam ſtupeam, eò adigi poſſe mentis humanæ ſuperbiam. Profeſſus eſt doctrinam ſuam non poſſe monſtrari niſi divina ſcriptura, & miraculis, quod eſſet ſuperior omni humana ratione. Scripturæ autem teſtimoniis longè apertius, atque efficacius probaſſe, quam probaverit Paulus Jeſum Chriſtum fuiſſe verum Meſſiam. Miracula autem ſe perpetraſſe plurima, eaque tanta, ut Chriſti reſurrectio non fuerit majus. Nam & ſeveriſſimè eſſe mortuum, & reſurrexiſſe , atque id evidentiſſimè ajebat ille, eſse oſtenſum. Scripturas verò proferebat memoriter (cùm nullum librum haberet, atque ipſo etiam breviatio ſpoliatus eſset) tot, & F tam longas ex Prophetis, & Apocalypſi, ex Pſalmis, & aliis locis, ut vel memoria eſset admirationi. Eas verò ita ad ſua commenta adaptabat, ita allegorizabat , ut quivis vel rideret, vel fleret. Poſtremò ſi miraculis rem agere nobis placeret, ſe libenter ea ſtatim exhibiturum. Hæc ita dicebat homo, ut vel nos inſanos putare videretur, vel ipſe inſanire . Nam & per revelationem ſibi innotuiſse jactabat Sereniſſimum Joannem Auſtriæ bello navali à Turca eſse ſuperatum, & regnum Hiſpaniæ à Philippo invictiſſimo jam penè amiſsum, & Concilium Romæ habitum, ut de ponendo Gregorio, & alio ſubrogando ageretur. Quæ ideò nobis ſignificaret, ut quoniam erant nobis certis indiciis nota, ſciremus ei non niſi divinitus innotuiſse. Et cum eſsent omnia uſque adeò falſa, ut ampliùs eſse non poſsent, ab illo tamen aſserebantur ut notiſſima nobis. Denique cum nihil profeciſsemus per duos dies diſserendo, & ad publicum ſpectaculum eſset cum cæteris, ut in Hiſpanis fieri ſolet, delatus, irruebatur ſemper in cœlum, ignem in inquiſitores, & omnes graſsaturum cœlitus expectans, ut illi erat pollicitus Diabolus: atque ignis quidem nos nullus ex alto corripuit: illum verò & Regem, & Pontificem, & redemptorem, & novum legiſlatorem ex imo flamma rapuit, atque redegit in cineres. G

ANTONINI COMMODI Imperator temporibus , ſæviente perſecutione in Chriſtianos, adveniente natali die ipſius, decretum ab eo exiit: ut omnis plebs Romanæ urbis in unum adveniret, & in laudem Herculis , ac Jovis pompatica voce acclamaret. Ventum eſt, & circumſtat Regem penè univerſus orbis. Ipſe autem deformiter indutus, regiam cum mitra aſcendit ſedem, ac priùs thurificavit auream Jovis ſtatuam: Tantæ enim ſuperbiæ erat, tantæque jactantiæ, ut indueret ſe pelle leonis, deſignare in veſtimento volens, quod ſicut leo beſtiarum, ſic & ipſe eſset Rex, & magiſter populorum. Cui omnis populus acclamavit dicens : Protector eſt Hercules Reipublicæ, & defenſor libertatis Romanæ audaciæ. Eodem tempore morabantur in vico, qui appellabatur Carnarius , Chriſtiani nominis cultores, inter quos erant viri religioſi Euſebius, Vincentius, Peregrinus , atque Potentianus, ſervi Dei orationibus inſtantes, mori pro Chriſto deſiderantes. Hi ad imitationem Apoſtolorum ſua omnia vendiderant, & pauperibus erogaverant, quatenus nudi ab hoc ſæculo liberiùs ſoli ſervirent Deo. Qui cùm audiſsent hujuſcemodi rem à Commodo geſtam, ridiculo , ac ſuperſtitioni hoc deputantes , vicos, & urbes perluſtrant trinum, & unum Deum prædicant , dicentes : Recedite, H chariſſimi, à cultura dæmoniorum. Date honorem Deo trino, & uni, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto omnipotenti , & agite pœnitentiam, & baptizemini, ne ſimul cum Commodo pereatis. *Vincent. l.* 11. *cap.* 119. *apud Sur. Aug.* 25. *in vita S. Euſeb.*

Ad B. NILUM miſsus eſt Conſtantinopoli ab Imperatoribus EUPHRAXIUS præfectus, ut utilem ejus doctrinam, & admonitiones audiret; quo cum fuit B. Nilo haud leve certamen; ſed gratia Dei ſumma gloria victor evaſit. Cùm itaque reverſus eſset Euphraxius cum multa elatione, & faſtu, & cùm ab Imperatoribus conſtitutus ipſe eſset judex Italiæ, & Calabriæ, omnes quidem Præpoſiti monaſteriorum regionis illius accedebant ad eum cum muneribus, & adulationibus, orantes eum ſinguli, ut ipſos protegeret, & ſibi opem ferret, beatus pater Nilus, ne videretur vel comminationes hominum metuere, vel confidere Principibus, quos præ contumelia filios hominum

num Propheta vocavit, in quibus non eſt ſalus: neque acceſ-
A ſit adulaturus, neque donis comminationes ſuperbiæ illius,
& audaciæ lenire quæſivit; ſed in ſuo monaſterio, & quieti
incumbens, Deum rogabat pro totius mundi ſalute, & pro
anima Euphraxii præfecti. Quod quidem ad majorem furo-
rem, & inſaniam accendit cor ſuperbi illius: quia cùm ab om
nibus honoraretur, & coleretur, à B. Nilo apertè contemni vi-
debatur. Quapropter non deſtitit quærere iniquitatis occaſio-
nem adverſus juſtum illum, cùm non inveniret. Non enim
cognoſci poteſt veſtigium colubri ſuper petram, quemadmo-
dum nec Principis iniquitatem in homine coronato eſt facilè
reperire. Intereà dum ille animo conflictaretur, multa mala
adverſus Nilum meditatur. Repentina imminebat illi mors,
ſed B. Nili oratio illam præoccupavit. *Bar. tom.10. Annal. ſub ann.976.6. ex Freder. Mutio Epiſc. Thermularum.*

Primùm genus ſuperbiæ eſt, cùm quis fratrem ſuum conte-
mnit, nihilque eum æſtimat, ſeipſum verò cæteris excellen-
tiorem habet. Hic ſtatim niſi ſe revocet, & reſipiſcat, ſenſim
labetur in alteram ſuperbiam, ita ut in Deum etiam incipiat
inſoleſcere, & bona opera ſibi ipſi adſcribere, non Deo. Me-
mini, inquit Dorotheus Abbas fratribus loquens, vidiſſe me
B aliquando hujuſcemodi hominem, qui in hanc miſerrimam
ſeditionem incidiſſet. Et initio quidem, ſi quis è fratribus lo-
quutus quidpiam eſſet in alterius commendationem, &
laudem, ſtatim illum ſpernebat, & quaſi conſpuebat,
dicens: Quis eſt ille; non eſt alius præter Zoſimum,
& qui cum eo ſunt. Poſt cœpit & illos contemnere, ac di-
cere, neminem alicujus eſſe pretii præter Macarium. Et pau-
lò pòſt, Quis ait, Macarius? nullus eſt præter Baſilium, &
Gregorium? Atque etiam non multò poſt, hos quoque cœ-
pit pariter ſpernere, & nullum illius pretii æſtimare niſi Pe-
trum, & Paulum. Cui ego prædixi, quod evenit, fore, ut
hos quoque, ſuo tempore contemneret. Quòd ſanè factum
eſt; Nam hos ſprevit, & nihil eſſe habendum in pretio (præ-
ter Trinitatem) aſſerere cœpit: ſtatimque in Deum quoque
factus eſt inſolentior, exarſit, intumuit. Nobis igitur lu-
ctandum eſt cum prima, ne paulatim in ſecundam labamur ſu-
perbi. *Dorotheus Abbas Doctrina 2. quæ eſt de humilitate.*

Sejanus, qui cum Tiberio iniit Romæ conſulatum, toto or-
be fuit celeberrimus, nec ſolùm ampliſſimas occupavit, &
aſſecutus eſt dignitates, & adminiſtrationes, ſed diutius ab-
C ſente Tiberio, & apud Capream inſulam multò tempore o-
tiante, ſeipſum pro Imperatore, Tiberium verò Cæſarem pro
inſulæ rectore quodam habuit, eoque exiſtimationis prove-
ctus eſt, ut ipſi tanquam Deorum alicui res ſacra fieri ſoleret,
eſſetque anno Chriſti 33. delatus conſulatus cum propagatio-
ne quinquennii, inſuper & in litteris publicis à Senatu ſicut
Tiberii, ita & Sejani nomen inſcriberetur, & ſicut Imperator
aureo curru in theatrum adveheretur, jurarentque omnes per
fortunam ejus: Hic, inquam, convocato Senatu, ut recita-
rentur litteræ Imperatoris, quibus collocata ſibi poteſtas tribu-
nitia dicebatur, quas ſibi ipſe lætas, atque jucundas ſperabat,
contrarias omninò, ac ipſimet pernicioſas omnibus audienti-
bus contra opinionem, & exſpectationem percepit, unde
mox depoſitus, juſſu Reguli conſulis ſuffecti, conſentiente
Senatu, in vincula ducitur, (ita Deus tumentes fluctus exi-
guæ arenæ obice in gracilem ſpumam convertit, cùm diſpergit
ſuperbos in furore ſuo, *Job.40*) atque ibidem capite mulcta-
tur deinceps in Gemonias unco trahitur, ſicque demum per
triduum à populo maximo ludibrio habitus in Tiberim mitti-
tur. Liberi quoque ex S.C. maximè verò filia, quam pater pactus
fuerat Claudii filio prius (ò rem inauditam) à carnifice
D conſtuprata, necati ſunt. Hæc pluribus *Dio Caſſius hiſt. Roman. l.58.* quæ nobis exemplo rerum humanarum inconſtan-
tiæ, & mobilitatis eſſe debent, ne quis ſibi arridenti, & blan-
dienti felicitati admodum credat, & in rebus proſperis mode-
ſtè, & non ſuperbè ſe gerat. Alibi idem exemplum adduxi-
mus ex Juvenali.

Cajus Imper. eo flagitii, atque inſaniæ pervenit, ut divinos
æmulatus honores Deus ab omnibus coli voluerit. *Philo.*
quanta paſſi ſint Judæi id facere renuentes pluribus ſcribit
Suet. & Dio teſtantur, quod de inferendo Jovis Olympii ſi-
mulachro Romam, deque illius effigie in ſuam mutanda con-
ſilium inierit. Joſephus, quod Petronio Syriæ præfecto in
mandatis dederit, ut ſuam ſtatuam Hieroſolymis in templo lo-
caret. Sed anno ætatis ſuæ 29. conjuratione Caſſii Chereæ, &
Cornelii Sabini Tribunorum Prætorianorum militum occiſus
eſt. *Suetonius in Cajo, cap.22. Dio l.59. Philo. l. de legat. ad Cajum.*

Quàm diſpliceat Deo ornatus capillorum, & corporis cul-
tus in Virgine, quæ propoſitum Virginitatis arripuit, docet
S. Hieronym. ſcribens ad Lætam pavendo exemplo de Prætex- E
tata nobiliſſima Romana fœmina.

Cùm Valentinianus Imper. S. Martinum Epiſcopum ea
petere cognoviſſet, quæ præſtare nolebat, juſſit eum palatii
foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem, ac ſuper-
bum uxor acceſſerat Ariana, quæ totum illum à ſancto viro,
ne ei debitam reverentiam præſtaret, averterat. Itaque Mar-
tinus, ubi ſemel, atque iterùm ſuperbum principem fruſtra a-
dire tentavit, recurrit ad nota præſidia, cilicio obvolvitur,
cinere conſpergitur, cibo, potuque abſtinet, orationes die-
bus, noctibuſque perpetuat. Septimò vero die aſtitit ei ange-
lus, jubet eum ad Palatium ire ſecurum, regias fores quan-
tumlibet clauſas ſponte reſerandas, imperatoris ſpiritum ſu-
perbum molliendum: igitur iſtiuſmodi præſentis angeli confir-
matus alloquio, & fretus auxilio, Palatium petiit. Patent li-
mina, nullus obſiſtit: poſtremò uſque ad Regem, nemine
prohibente, pervenit. Qui eum venientem eminus videret, in-
frendens, cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere digna-
tus eſt aſtanti, donec regiam illam ignis operiret, ipſumque
Regem, ea parte corporis, qua ſedebat, adflaret incendium:
ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino invitus aſſurgit; F
multùmque complexus quem ſpernere ante decreverat, virtu-
tem ſenſiſſe divinam emendatior ferebatur, nec exſpectatis
Martini precibus primus omnia præſtitit, quàm rogaretur.
Colloquio illum, atque convivio frequenter adſcivit, poſtre-
mò abeunti multa munera obtulit, quæ vir beatus, ut ſemper
paupertatis ſuæ cuſtos, cuncta rejecit. Hæc *Severus de Valentiniano majore. Decalog.6.l.1.*

Lovanii anno 1579. erat Puella quædam in corporis cultu
ultra modum ſuæ conditionis profuſa, unde fiebat, ut etiam
parum pudica haberetur. Hæc poſtquam vita defuncta eſſet,
libidinoſæ cadaver ejus ſtramini de more impoſuerunt, atque
ad pedes ejus cereum conſecratum collocarunt, ac deinde in
inferiorem domicilii partem deſcenderunt, ubi dum verſan-
tur, ſtrepitus ſupernè exaudiri cœpit, quo una illarum exci-
tata denuò aſcendit, quid rei ageretur, exploratura. Invenit
hæc cereum extinctum eſſe, & cadaver undique flammis col-
lucere, nec tamen ſtramina, quibus impoſitum erat combu-
ri, cubiculum verò teterrimo fœtore repletum. Ac primùm
quidem ex tam horribili oſtento attonita vix apud ſe erat, tan-
dem verò ſe colligens candelam extinctam flammæ illi, quæ G
cadaver allambebat, admovens reaccendit. Ea accenſa flam-
mæ illa ſpecies evanuit. *Albert. Herod. lib. 5. de Provid. Dei, c.3.*

Ildefonsus Epiſcopus: cùm, ait, Helladio Epiſcopo Juſtus
Diaconus faſtu ſuperbiæ inſultaret, poſt mortem quidem ſui
Pontificis vixit Epiſcopus, & ipſe tabefactus, ſed in repro-
bum verſus ſenſum, ob intemperantiam morum, à miniſtris
altaris ſui dormiens ſtrangulatus laqueo expiravit, &c. *Bar anno Chr. 657.*

Cùm Julianus Apostata lethali vulnere incerto aucto-
re telo divinitus directo percuſſus in Perſide ad fluminis ri-
pam jaceret, tametſi ob ſpretam Chriſti religionem mori ſe
confiteretur, & à Nazareno victum agnoſceret, conſilio ta-
men cum ſacerdotibus ſacrilegis inito ſe clam in fluvium præci-
pitare voluit, ut divinitus raptus videretur, verùm cum ſuo
duce Satana in tartara præceps actus eſt.

Simon Thurvajus Anglus cùm eſſet dialecticus acutiſſi-
mus, & artium liberalium Pariſiis profeſſor magni nominis,
plenior ſcientia (quæ inflat) quàm charitate (quæ ædifi-
cat) temerè in Scholis, & palàm non eſt veritus jactitare,
ſe ſcire totam Chriſti legem, ac improbando eam poſſe anni- H
hilare: ſed ita ſubita oblivione percuſſus fuit, ut primarum
litterarum oblitus nec Dominicam orationem pronunciare,
nec Alphabetum legere ſciret. Nicol. Dunelmenſ. dum adhuc
adoleſcens eſſet, vidit eum litteras à filio proprio doceri. Con-
tigere hæc circa annum 1201. vide in magno ſpeculo exem-
plorum de Simone de Tornaco blaſphemo *ex l.2. Apum, cap. 48. parte 54.*

Idem *Delrius diſq. mag. lib.4. cap.1. q.4. ſect.5.* Gandenſis
virgo, ait, diù noſtris temporibus vacarat orationi, & ſacra-
menta frequentarat, ſed vel non ſatis exercitatum nacta fue-
rat confeſſarium, vel ſi nacta, ei ſua ſecreta ſpiritualia non pan-
debat, vel bene monenti non credebat, quidquid horum fue-
rit, paulatim variis revelationibus eam diabolus ſuperbiæ ſpiri-
tu inflavit, tandem perſuaſit meritis reliquis parem eſſe Dei-
paræ virgini, deeſſe fœcunditatem junctam virginitati illiba-
tæ: ſi pergat id, quoque conſecuturam. O vafrum commen-
tum, & muliebri ingenio accommodatum: jam illa ſe confeſ-
ſionis

ſionis indignam non eſſe rebatur; itaque per annos aliquot
A eam intermittens non abſtinebat tamen a ſacra ſynaxi. Quid
multa? ſemel dum in templo verſatur, & communionem ex-
ſpectat, ardentiuſque beneficium illud reliquum poſtulat:
audit, bono ſis animo, dilecta, exoraſſe te ſcito, conceſſa
tibi fœcunditatis cum caſtimoniæ prærogativa quam petis de
cœlo confide te gravidatam, commiſcuerat enim ſe cum dæ-
mone, qui lucis angelum mentiebatur, domum reverſa ſentit
uterùm tumeſcere: juſto poſt partus tempore adveniente pium
quendam, & prudentem adit civem bene notum, narrat rem
totam, petitque ut in domus ejus penetralibus ſibi liceat pate-
re, & ſtipulatur arcanum fore. Ille nec credulus dictis de re-
velatione, nec tamen ſuſtinens virginem domo excludere: ve-
ritus ne graſſari jam incipientibus Sectariis materiam res vulga-
ta præberet blaſphemis hæreticorum dicteriis, atque lædoriis,
eam ſuſcepit, & adhibita obſtetrice fida partum exſpectat.
Miſera doloribus vehementer torquebatur: tandem magnam
pro prole humana horridorum, & villoſorum, fœdiſſimorum-
que vermium copiam effudit utero, quorum tam dirus erat
aſpectus, ut omnes exhorreſcerent, tam teter odor, ut fœtore
B fermè exanimarentur. Sic demum miſella ſe deluſam intelle-
xit, & ſuperbiæ ſuæ fructum à ſuperborum principe retuliſſe,
quem oportebat.

Gregor. Turon. Refert, quomodo & virum doloſus ille co-
luber ſupplantarit, S. Friardus, ait, cum Secundello Dia-
cono in ſupradicta inſula ſtetit immobilis, habebat tamen u-
terque eorum propriam cellulam, ſed procul inter ſe poſitam.
Cùmque ſtrenuè in oratione perſiſterent, nocte Secundello ap-
paruit tentator in ſpecie Domini dicens: Ego ſum Chriſtus
quem continuò deprecaris, jam enim ſanctus es, & nomen
tuum in libro vitæ cum reliquis ſanctis meis adſcripſi: egredere
nunc ab hac inſula, & vadens fac ſanitates in populis. His &
ille illectus deceptionibus diſceſſit ab inſula, nec ſocio nun-
ciavit: tamen cùm infirmis in nomine Chriſti manus impone-
ret, ſanabantur. Reverſus autem poſt multùm tempus ad in-
ſulam, venit ad ſocium cum vana gloria, dicens, abii extrà
inſulam, & virtutes multas in populis feci. Cùmque conter-
ritus ille interrogaret, quid hoc ſibi vellet, cuncta, quæ geſ-
ſerat ſimpliciter pandit. At ſenex obſtupeſcens, ſuſpiranſq;
ac lachrymans ait: Væ nobis, in quantum audio à tentatore
C deluſus es: vade, age pœnitentiam, ne ultra tibi prævaleant
ejus doli. (Lapſus eſt 1. quia occulta ex ſuperbia credidit ſe
ſanctum, & ex hoc frontiſpicio non cognovit doloſam ma-
chinam. 2. quia deſcivit à bono propoſito manendi in illa in-
ſula. 3. quia clàm habuit magiſtrum conſilia ſua, & obedi-
re illi neglexit. Subjungit verò Gregor. quomodo victus vi-
cerit, fretus humilitate, obedientia, & oratione.) Secun-
dellus cum fletu ad pedes ejus proſternitur, rogans ut pro ſe
Dominum deprecaretur. Cui, veni, inquit, & pariter ejus
omnipotentiam pro ſalute animæ tuæ poſcamus, non eſt enim
difficilis Dominus ſe confitentibus miſereri. cùm ipſe per
Prophetam dicat: Nolo mortem peccatoris ſed ut converta-
tur, & vivat: orantibus autem illis advenit iterùm tentator in
ſimili ſpecie ad Secundellum dicens: Nonnè præceperam ti-
bi, eò quod oves meæ morbidæ eſſent, & Paſtore indigerent,
ut egredereris, & viſitares, atque opem ſanitatis ei tribueres.
Et ille: in veritate comperi, quod ſeductor ſis, neque te De-
um credo, cujus te ſpeciem mentiris habere. Tamen ſi Chri-
ſtus es, crucem tuam, quam reliquiſti, ipſam oſtende, & cre-
dam tibi. Cùmque non oſtenderet, Diacono crucem in os e-
D jus faciente, confuſus evanuit.

Romanus Diogenes in Oriente Imperator fortunæ (ſi
Chriſtiano dicere licèt) ludus, ſtatim ex imo ad ſummum
rurſumque ex ſummo ad imum majori impetu ruit. Planè ſe-
cundùm illud *Proverb. 16.* Ante contritionem præcedit ſu-
perbia, & ante ruinam exaltatio ſpiritus, homini contingit.
Nam cùm anno Chriſti 1071. pugnans adverſùs Turcas ob-
latam pacem ab Aſan Sultano per Legatos magno arrogantiæ
ſupercilio rejeciſſet, ipſumque cum ſuis proficiſcentem eſſet
aggreſſus, diremptus noctis crepuſculo cum rediret ad ſuos:
Poſtremæ acies exiſtimantes illum fugere in fugam ſeipſos
irrevocabilem dederunt, adeò ut fuga milites ſparſos ado-
riendi hoſtibus occaſio fuerit patefacta, qua benè uſi vi-
ctoriam inſperatam adepti captivum duxerunt etiam impera-
torem, quem ille benignè habuit ſua quoque menſa digna-
tum. Cùm aliquando (inquit Curopalates) Sultanus eum
interrogaſſet: Quid mihi feciſſes, ſi me in tua poteſtate
habuiſſes? reſpondit: Multis plagis bene notis tuum cor-
pus confeciſſem. At ego, inquit Sultanus tuam ſeveritatem,
aut crudelitatem non imitabor, verùmtamen audio veſtrum
vobis præcipere Chriſtum pacem, & oblivionem malorum,
ſuperbiſque reſiſtentem humilibus gratiam dare. Præſtitit- E
que ex animo dux barbarus, quod promiſit. Creato autem
alio imperatore miſſus Andronicus in occurſum Diogenis
eundem captum, nigraque veſte indutum ſuper mulum hu-
manæ miſeriæ ſpectaculum factum toto illo perlongo iti-
nere perduxit, cui & juſſit novus imperator effodi oculos,
ſed vulneribus ex ſuffoſſione oculorum non curatis cum e-
jus caput intumuiſſet, vermibuſque ſcateret, graveolens,
horribilis viſu, ut humanum oſtentum expoſitus omnium
oculis finem vivendi fecit, luens hic pœnas, ne æternas in-
curreret.

Anno 1600. Cùm civis quidam Groningenſis ob religio-
nem Catholicam Monaſterii Weſtphal. exulans menſe Sept.
Embrica rediiſſet, ultimo ejuſdem narravit coram Reve-
rendo D. Nicolao Areſdorffio Aconenſi Epiſcopo, &
Suffraganeo Monaſt. Reverendo P. Theodoro Buſæo Pro-
vinciali Rheni, R. P. Joanne Coppero Rectore Collegii,
& tertiò ſacerdote de Societate, nobilibus item viris diverſis
hujuſmodi hiſtoriam, quam & alii probatæ fidei viri Embda
venientes aſtruunt: Ante aliquot ſeptimanas Embdæ fœmi- F
na quædam ex compoſitione, & aptatione collarium quæ-
ſtum faciens publicam locabat operam, hanc dæmon in ſpe-
cie adoleſcentis cum aliquot collaribus adiens, petit ea ſibi
non vulgariter componi, neque cæruleo imbui colore (ut
jam ſuperborum mos in Hollandia, & aliis vicinis locis ob-
tinuiſſe dicitur) ſed novo, inſolitoque modo colore rubro
tincta aptari, cùmque mulier negaret ſe hujuſmodi noſſe
compoſitionem, ipſe partim ſcripto, partim ad oculum de-
monſtrando informavit mulierem. Recepit igitur illa in ſe-
quentem diem parata fore; quia citiùs expedire poſſe nega-
bat, abiit adoleſcens, ſed media nocte, ſplendente luna
conſtitit ante lectum poſcens collaria, mulier territa, gravius
objurgat, quod furtim media nocte auſus fuiſſet ingredi do-
mum ſuam. Verùm majore paulatim illam timore invadente
cum ſuſpicaretur, quod res erat, Jeſum inclamat, nec mo-
ra, dæmon, vitro de feneſtra ſumpto integreque projecto
in terram evaſit. Ex illo tempore mulier ſalubriter ſtatuit
non amplius collaria componere.

Anno 1589 19. Martii Hildesio ſcripſit vir, & à doctri-
na, & à pietate optimè armatus: in Bacchanalibus hic in pa- G
go quodam Catholico ſuperbus quidam Ruſticus dum è
ſympoſio filiam cum cantharo pleno ad uxorem miſiſſet,
filiaque caſu cereviſiam effudiſſet, ira commotus puellam-
que objurgans eidem minatus eſſe dicitur, quod eo ve-
ſperè eam adhuc verberaret, aut dæmonem in ſe intra-
turum. Sic igitur irarum plenus dum domum revertitur con-
tinuo inſanire occipit, & ſecuri arrepta ita in domo ſua tu-
multuatur, ut liberi in plateam excurrentes vicinos inclama-
rent, quod patri deſperaturo, ut putabant, ſuccurrerent.
Jam ferè connubia nox erat, & plerique ruſticorum ſe do-
mum receperant ut crapulam edormirent, itaque hujuſmo-
di clamoribus excitati partim ex ædibus ſuis, lectiſque,
partim è caupona proſilientes accurrunt, & inſanientem
domi ſuæ, tumultuantemque accedunt, timore perculſi,
unus autem reliquis audacior, qui domum intrare non au-
debant, ſive dæmon, inquit, ſive mater ejus ſis, in nomi-
ne Jeſu ad te ingrediar. Et his verbis ſubito in domum
irruens, juxta obſeſſum ſecuri armatum ſe collocat. Et hic,
inquit, in nomine Jeſu ſedeo, ferias me, ſi audes. Tum ob-
ſeſſus ſecurim continere, torvum videre, ac tremere, ac- H
currunt interim alii ruſtici. Et ut probent num obſeſſus ſit,
Dicas, inquiunt, Jeſus in corde meo, quod cùm proferre
nollet; iterùm, Dicas, inquiunt, Domine Deus pater cœ-
leſtis. Sed nec hoc proferre voluit. Poſtquam ergo tres vi-
ri, quatuorve ſecurim illi ex manibus extorſiſſent, ipſeque a-
quam ad lavandas manus poſtularet, ruſtici ſtatim aquam
benedictam adferunt, alii herbas benedictas, crucem ex il-
lis factam porrigunt, quam ſtatim fregit, alii cereum be-
nedictum accendunt, iterùmque accendunt, ſed ſemper ex-
tinguit. Ruſtici itaque (quòd crapula eos ammoſiores red-
didiſſet) certatim dæmoni inſultant, & minantur illi ſe in eas
ipſum anguſtias deducturos tamque moleſtos illi futuros
ut exire cogatur. Tum dæmon, Non diù, inquit, hic ma-
nebo: interim dum ſic à ruſticis obſeſſus tractatur, incipit
bis vomitum reddere, tanto cum fœtore, ut intolerabilis a-
ſtantibus videretur, ubi autem evomuiſſet, ad ſe reverſus,
Jeſus, inquit, in corde meo, & tamen de dolore, quem ex
omnium membrorum concuſſione ſentiebat, conqueſtus,
ad lectum deducitur. Necdum omnino convaluit, & u-
trum

trùm planè liberatus ſit, adhuc neſcitur. Res accidit, autem A pridie, aut ipſo die cinerum. Ita Catholici ruſtici ſemipoti in Bacchanalibus contra dæmonem potentiores fuerunt, quàm omnes hæretici prædicantes in generatione ſua quantumvis ſobrii, & inani fide pleniſſimi.

Cùm Abbas Moyses ſingulari pietate monachus, cum ſanctiſſimo Abbate Machario diſputans, verbum paulò durius, atque liberius protuliſſet inconſideratè, pœnas illico dedit, nam malus dæmon, à quo Dei permiſſu arreptus fuerat ventris fœcibus, quæ & ſecretam immundam ejectionem habere ſolent, humanoque ſtercore os, faciemque ſubinde fœdabat, ſed Macharii precibus omnis illa dæmonis & agitatio, & injurioſa fœditas conquievit. *Caſſ. collat. cap. 27.*

Legitur *apud Simeonem Metaphraſten* de Jacobo Eremita non ſolum vitæ ſanctitate conſpicuo apud fideles, ac infideles (de quibus multos ad veram fidem perduxit) ſed etiam maximis miraculis claro, qui totos 40. annos in ſolitudine ſolis herbis, & radicibus vitam tolerarat, & nocturnis diurniſque horis continenter precibus vacarat. Huic inſidias ſtruens Sathan, B fœminam locupletum parentum filiam ingreſſus eſt, per eam nomen ſancti Jacobi prodit, parentes eam ad tugurium ejus diù quæſitum adducunt, exponunt filiæ miſeriam, ut quæ jam à 20. diebus nihil cibi, potuſve deguſtaſſet, & propriis manibus carnes ſuas diſcerperet. Orat pro illa Sanctus, dæmon abſcedit, Parentes veriti, ne brevi reverteretur, obſecrant ſanctum, ut biduo ſaltem eam ſecum retineat, ille, ob ſanctitatem vitæ ſuperioris, & miracula nimium ſibi confidens, conſentit. At Deus videns eum ſuæ imbecillitatis immemorem priſtinum ſuum auxilium ei ſubtraxit, permiſitque eum labi non ſolùm in ſacrilegam fornicationem, ſed etiam homicidium, nam pòſt lapſum reformidans ne puella ſcelus aliquando patefaceret, eam è medio ſuſtulit. Quo caſu commemorato Metaphr. ſubjungit, hujus ruinæ nullam aliam fuiſſe cauſam, quam occultam monachi ſuperbiam. Perpendens verò Jacobus quàm tetro ſcelere ſe inquinaſſet, in tantam deſperationem animi venit, ut cogitaret deſerta vita religioſa redire ad mundum: ſed clementiſſimus Deus memor laborum, quos pro Chriſti nomine tot annis ſuſtinuit, divinæ lucis radiis ejus animum per alium quendam Dei ſervum ita perſtrinxit, ut ſpe veniæ impetrandæ C erectus ſeſe in pervetuſtum quoddam ſepulchrum ſubterraneum integro decennio uſque ad mortem abdiderit, noctu diùque cum aſperrima pœnitentia lapſum ſuum incredibili dolore animi aſſiduis lachrymis, & tanta confuſione ſui deplorans, ut neque oculos in cœlum attollere auderet, nec cum ullo mortalium miſcere ſermonem, plenam ſui diffidentiam aſſecutus. Diſce hinc 1. ne unquam in præterita ſanctitate confidas, etſi miraculis ſit confirmata. 2. quàm pernicioſa ſit ſuperbia. 3. ſi lapſus fueris, ne animum deſpondeas. 4. occaſiones labendi fugere. Qui enim amat periculum, peribit in illo.

* Apophthegmata Ethnicorum.

Democrates jam ſenex aſcendens in arcem Athenis perquàm anheloſus: Idem ſe facere dixit, quòd univerſa civitas Athenienſium ſoleret. Nempè ſe magnum quidem ſpirare, parum autem valere. *Stob. ſerm. 22.*

Democritus deſinere dicebat in malam infamiam eum, qui cum ſuperiore contendit. *Stob. eod. ſerm.*

Antisthenes, quam Platonis ſuperbiam notare cuperet, fortè in pompa equum hinnientem frementemque aſpiciens ad D Platonem verſus, ait: Tu profectò meo judicio præclarus fuiſſes equus, eſt enim equus animal ſuperbiſſimum. *Bruſ. 6. 5.*

Zeno Citticus in quẽdam circa formæ curam ſtudioſiorem quàm deceret virum, cùm imbricem lentè, ac circumſpectè tranſiret: Meritò, inquit, ſuſpectum habet lutum, in quo non poteſt ſeipſum, ut in ſpeculo cernere. *Laert. lib. 7. cap. 1.*

Aristoteles adoleſcentulum ſuperciliis ſublatis ſuperbientem conſpicatus, ſed nulla ſcientia præditum: Adoleſcentule, inquit, utinam talis eſſes, qualis ipſe tibi videris: qualis autem revera es, tales fiant hoſtes mei. *Anton. in Meliſſa part. 2. ſer. 74.*

Socrates Alcibiadem intuitus ob divitias inflatum, & ſuperbientem operibus, prædiiſque, in quendam civitatis locum duxit eum, in quo ſuſpenſa erat tabula terræ circuitum complexa. Juſſit igitur Alcibiadem Atticam in ea requirere, quam ut invenit, ſua etiam prædia inſpicere præcepit, quæ cum Alcibiades nuſquam eſſe picta diceret: Cur igitur, Socrates inquit, ob illa ſuperbis, quæ circà nullam terræ partem exiſtunt? *Stob. ex Ælian.*

Plato, cùm aliquando conſcendiſſet equum, mox deſcendit, dicens, ſe veteri μὴ ἱπποτυφίᾳ ἁλωθῇ, id eſt, ne equeſtri faſtu corriperetur. Superbum animal eſt equus: & equitate quid- E dam habet magnificum, parumque philoſopho dignum. *Laert. lib. 3.*

Idem exhauriendam eſſe dicebat ex animis juvenum falſam opinionem & ſuperbiam: ſicut aerem ex utribus utile quippiam infuſuri exhauriunt: ſecus enim inflatione, & ſpiritu turgentes nihil admittunt. *Anton. ſerm. de ſuperbis.*

Æsopus à Chione rogatus. Quid, faceret Jupiter? Excelſa, inquit, deprimit, extollit humilia. *Bruſonius lib. 5. cap. 5. ex Stobæo.* Idem, Comatulum juvenem nimium affectato ornatu conſpicuum intuitus: Si te, inquit, tam exquiſitè comas virorum gratia, planè ludis operam, ſin mulierum, iniquus es, aut improbus. *Stob.*

Phocionis Uxor interrogata, quam ob rem ſola ex aliis in conventu non geſtaret ornatum aureum, dixit. Quoniam pro ornamento mariti virtus mihi ſufficit. *Stob. ſerm. 72.*

Epictetus, Nulla debes aliena præſtantia gloriari. Equus F quidem elatus, ſi de ipſo jactabundus diceret. Quàm ſum egregius? foretque utique id tolerabile. At ſi tu dicas. Ne equum egregium poſſideo, nihil aliud quàm de bono ſuperbis. Tuum autem quid eſt? Nempè ſolus opinionem uſus, quem ſi ſecundùm naturam habueris, tum gloriare: ita demum enim de propria excellentia gloria. *In Enchiridio.*

Laconem hoſpes, quem pridie declinaverat, poſtridie ſtragulis mutuo ſumptis ſplendidè excepit: at ille ſtragulis conculcatis dixit: Propter has heri ne ſtoreis quidem indormire licuit. Lepidè riſit illorum morem, qui cùm ſint tenues, tamen affectant videri divites, corrogata, aut conducta ſupellectile: quod maximè ſolent in excipiendis hoſpitibus, in nuptiis, aut alioqui ſolemnibus epulis. Porrò cùm ineptum ſit oſtentare tuas divitias: quanto magis ridiculum eſt oſtentare ſupellectilem alienam, interdum ab uſurariis ſumptam? At Lacedæmonii non ſolùm oratores regum, verum ipſos reges ad ſua phiditia invitabant, eam frugalitatem ſibi magno etiam honori futuram exiſtimantes. *Plut. in Lacon.*

Democritus Phal. in hominem ſuperbum, & multo faſtu turgidum, dicebat altitudinem circumcidi oportere, ſenſum- G que relinqui. *Bruſ. lib. 6. cap. 5.*

Artabanus diſſuadens Xerxem ab expeditione contra Græcos: Vides, ait, ut prægrandia animalia fulmine Deus feriat, nec inſoleſcere ſinat: parva verò nihil lædat? Vides, ut magna ſæpè ædificia, magnaſque arbores hujuſmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet enim Deus, eminentia quæque deprimere. *Herod. & Bruſ. lib. 6. cap. 5.*

Thais glorioſo cuidam amatori, qui cùm multa pocula ſumpſiſſet commodato, diceret, ſe velle illa confringere, aliaque parare: Perdes, inquit, quod cuique proprium eſt. Ambiguo ſermone notans commodatitia. Poterat autem intelligi, ſi conflentur, periret, quod cuique poculo proprium eſt. *Eraſm. lib. 6. apopht.*

Philisthion, Si videris, inquit, improbum in altum gradum evectum, magniſque opibus & fortuna exultantem, ſuperciliaque ſupra fortunam extollentem, ejus celerrimam expecta mutationem: tollitur enim altiſſime, ut majore caſu ruat. *Anton. ſerm. de ſuperbis.*

C. Sulpitius uxorem ſuam repudiavit, eò quod comam probè ornans, ex ædibus egreſſa eſſet, inquiens: Lex tibi meos unius præfinit oculos, quibus formam tuam approbes: his H ornamenta comparato, his eſto ſpecioſa: aliis velle videri formoſam, in ſuſpicione, & crimine hæreat neceſſe eſt. Probè caſtigavit mores uxoris ſuæ Sulpitius, qui putavit ornatum uxoris eo ſpectare, ut aliis viris melius quàm marito placeat. *Eraſm. lib. 6. Apopht.*

Socrates dicebat, ſuperſtitionem ſuperbiæ tanquam parenti eſſe morigeram. Et ſanè omnis ſuperſtitioſus eſt ſuperbus: nec ſine ſuperbia prodierunt tot ſuperſtitiones falſæ ſententiæ circa religionem, & deteſtandi cultus à ſuperſtitione invecti. *Stob. ſerm. 22.*

Julia, Auguſti F. cùm ultra modum ſuperbiret omni corporis cultu, admonita à quodam, ut ſe ad paternæ frugalitatis exemplum componeret, reſpondit, Pater obliviſcitur ſe Cæſarem eſſe, ego verò memini me Cæſaris eſſe filiam. *Ibid.*

Diogenes, cùm vidiſſet Olympiam, & Rhodiacos quoſdam adoleſcentes pretioſis, magnificiſque veſtibus amictos, cùm riſu inquit, hoc nihil eſt præter faſtum. Deinde cùm incideret in Lacedæmonios laceris, ſqualentibuſque tunicis amictos. Hæc, inquit, longè eſt alia ſuperbia. Vidit autem A philoſophus ſuperbum animum non ſemper ſplendido, & ornatiſſimo veſtitu elucere, ſed in ſordibus etiam, dum homines opulentiſſimi ſæpènumero viliſſimo veſtitu incedentes, hominum ex eo laudem ſuperbientes venantur. *Ælian. lib. 9. de Var. hiſt.*

Christianorum.

Ut ſuperbia.

—— vitium rebus ſolemne ſecundis,
Virtutumque ingrata comes, ——

etiam in conſpicuo ponatur, præclara Arſenii ſententia in medium adducenda. Nihil enim ei frequentiùs in labris, quandocunque de ſuperbis mentio fieret, quàm Superbi omnem ſibi ad cœlum viam præcludunt, haud ſecùs, quàm qui tranſverſum lignum, equis inſidentes, templo inferre conantur. Non minùs eleganter *Hugo lib. 1. de anima:* Superbia in cœlo nata eſt, ſed velut immemor, qua via inde cecidit, illuc poſteà redire non potuit, ita.

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

B *Ex Thom. Stapl. Dom. 4. Advent. in Prompt. Mor. Beyerl. in Apop. Chriſtian.*

Quid autem Evagrius? Percontanti, quid ſibi videtur ſuperbus animus, ſui pectoris arcanum referans; Virtutis, inquiebat, ventilator, ciſterna aquis deſtituta, diverſorium latronum. Hæc enim.

Sollicitum pectus curis flammantibus urget,
Immanſueta, ferox, & amicæ neſcia pacis,
Neſcia, quid pietas, quid ſit clementia, in omne
Sponte ſcelus præceps ruit, implacabile monſtrum.

Anton. ſerm. de Superbia. Beyerl. ſuprà.

Nec virtuti tantùm, ſed & bonis moribus adverſari hanc Chriſtianæ vitæ novercam aſſeruit Joann. Climax, à quo profectum meminit præfatus *Anton. ſerm. eod. de Superbia.* Ut fures ſolem deteſtantur, ita modeſtos ſuperbi. Sic *Claudian.* in eandem pœnè ſententiam:

Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores.

Idem ibid.

At difficile eſſe ejus laqueos effugere, qui ſemel in iis incautum pedem fixit, docuit idem ipſe, cùm diceret, Ægrè ſuperbiæ dæmonem à te repellis. Quidquid enim molitus fueris, ut hanc detrahas, idipſum alterius ſuperbiæ futurum eſt C initium. *Ibid.*

Verùm ne ſpiritualibus tantùm bonis adverſari Superbiam exiſtimemus; videamus Constantium Cæſarem. Rogabatur, quo tempore maximè decreſceret fortuna, & reſpondit, Creſcente ſuperbia. Ita non ſpiritualibus tantùm, ſed & temporalibus bonis inſidiatur. *Ex libro Rer. memor. Beyerl. ſuprà.*

Isdigerdas Perſar. Rex prælio contra Roman. ceciderat, quo intellecto, accurrit otiùs, tanquam quid ſibi accidiſſet ignarus, ac pacis conditiones proponit. At ut erat animo elato, & cedere neſcio, ita Rom. Legatum compellabat: Non bello cedens, pacem amplector, ſed eam tibi lubens præſto, quòd te omnium ſapientiſſimum cognoſcam, quos Rom. Imperium alit. Ita ſuperbus Rex, ne quidem tanta clade attritus, ad humilitatem redigi potuit. *ex Trip. Hiſt. Socr. l. 10. c. 15. Idem ibid.*

Benè itaque, & præclarè ſenſiſſe Ludovicum XI. Gal. Regem fatemur, cujus illud proverbium: Dedecus, & detrimentum, comites ſunt, ac pediſſequæ ſuperbiæ. *ex Phil. Commineo in Comm. Geſt. Ludovici. Idem.*

☞ *Vide Locum de Luxu veſtium.*

Hieroglyphicvm.

D In divinis ſanè literis pro arrogantia, atque ſuperbia Cervix accipitur: quare *Pſalm* 130. Impiorum conciſas cervices legas pro indomita ſuperbia. *Pier. Var. lib. 32. p. 303.*

* Superbiæ Remedia.

Eadem ſunt ex parte noſtra ſuperbiæ remedia, quæ humilitatis adjumenta, præcipua tamen ſunt hæc ſeptem.

Primum eſt, Conſideratio ſuæ vilitatis, & miſeriæ tum in animo tum in corpore; quæ tanta eſt, ut utrumque nihil videatur aliud, quam omnis miſeriæ, & mali lacuna: in corpus enim influit omnis miſeria corporalis, in animum, omnis ſpiritalis. Unde meritò quiſque ſibi dicat illud *Eccleſiaſt.* 10. Quid ſuperbit terra, & cinis.

Secundum, conſideratio magnitudinis divinæ, ad quam omnia ſunt inſtar nihili. Item perfectionis Angelicæ, & quam modica ſint omnia noſtra ad illorum excellentiam.

Tertium, Quàm imperfecta ſint, & vilia, ex quibus ſuperbimus. Quid enim ſunt divitiæ? Lutum, mixtura terræ, & aquæ. Quid ſcientia; opinio. Fama; ventus; Gloria, fumus. Vita univerſa? vapor ad modicum apparens: modica ſcintilla E ad commovendum cor noſtrum. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. *Iſa.* 40. Hæc tria inſinuat *D. Tho. art. 5. ad 1.*

Quartum, omnia bona, quæ habemus, eſſe Dei, gratis ab eo accepta, & precario poſſeſſa: unde & aufert illa, quando placet.

Quintum, ſuperbiam eſſe vitium diabolicum, & notam eorum, qui ad ipſum pertinent, id eſt, civitatis diaboli, qui dicatur rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Job.* 41. Unde Apoſtolus *1. ad Timoth. 3.* vetat ordinari neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli: apertè inſinuans ſuperbiam eſſe diaboli vitium. E contrario verò, humilitas eſt virtus Chriſti, & eorum, qui ad Chriſtum pertinent; de qua re *vide S. Auguſt. lib. 14. de civit. Dei c. 13.* ubi docet duas civitates, ſocietatem nimirum juſtorum, & impiorum, & duos ipſarum duces, Chriſtum, & diabolum his notis potiſſimùm, humilitate, & ſuperbia diſtingui.

Sextum, ſuperbiæ nocumenta; ut, quòd Deus ſuperbis reſi- F ſtat, ſuperbos diſperdat, & humiliet: *Eccleſ.* 19. & plurimis conſtat Scripturæ exemplis, quæ antè attulimus. Item quod divinas inſpirationes impediat. *Vide Caſſianum lib. 12. cap. 27.* Tantum enim malum eſt ſuperbia, ut Deus ad illam curandam permittat interdum hominem cadere in alia peccata, ut agnita ſua miſeria humilietur. Unde *D. Aug. loco citato.* Audeo, inquit, dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderunt, ſalubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit. Hoc dicit ſacer Pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.

Septimum, exercitium operum humilium: contraria enim contrariis optimè curantur. *Caſſ. ſuprà cap. 32. & 33.*

Superſtitio.

Definitio, & Etymologia.

Superſtitio ſecundùm *Ciceron. lib. 2. de natura Deorum* nomen ſumpſit ab iis, qui pro ſuperſtite ſua prole nimii erãt in Diis precandis. Reiicit id *Lactant. lib. 4. inſtit. cap. 28.* & G potiùs dictam vult ab iis, qui ſuperſtitem memoriam hominum defunctorum tanquam Deorum colebant, aut qui parentibus ſuis ſuperſtitibus, colebant imagines eorum domi, tanquam deos Penates.

At neuter aſſignando nominis rationem adæquatè ſuppeditat definitionem, ac rationem rei: ille enim tantùm ponit ſuperſtitionem in verorum Deorum nimio cultu, iſte autem tantùm in cultu falſorum Deorum; cùm rectiùs *D. Thom.* utrumque comprehendere doceat ſuperſtitionem, & cultum Deo aliter, quàm oporteat, & etiam illi, cui non oportet, exhibitum. Priorem aptius: videtur ſignificare vox Græca ἐθελοθρησκεία, *Coloſſ. 2.* poſteriorem δεισιδαιμονία. *Act. 17. & 25.* illa enim voluntarium cultum, hæc autem timiditatem dæmonum ſonat.

Lucretius, quem refutat *Iſidorus*, ut Epicureus, omnem religionem ſuperſtitionem exiſtimans, ſuperſtitionem dictam, putabat de inani illo, ac ſuperfluo timore ſuperſtantium rerum cœleſtium, & divinarum, quæ ſuper nos ſtant.

Sanè etiam apud *Ciceronem* ſuperſtitionem aliquando pro religione uſurpatam, obſervat *Lorin. in cap. 17. Actor.* quod mirum non eſt, cùm veritate aliquando ſuperatus ſatis fateatur, ſuam religionem nihil eſſe aliud, quàm ſuperſtitionem, ut H convincit *D. Aug. l. 4. de Civit. Dei c. 8. Etymol. cap. 3.* utpotè, quòd ſuperflua, aut ſtatuta obſervatio, aut quòd à ſenibus uſque ad delirium ſuperſtitibus profecta ſit.

Nonius Marc. aliam habet, inde petitam, quòd ſuperſtitioſi præ cultura Deorum à cæteris curis ſuperſedeant, ſicut & religionem à relinquenda aliarum rerum cura pro uno Dei cultu nonnulli derivant.

Definitur autem à *S. Thoma 2. 2. q. 92. art. 1.* eſſe vitium ſecundùm exceſſum Religioni oppoſitum, eò quòd cultum afferat, vel ei cui non oportet, vel eo modo, quo non oportet. Quamvis enim in religionem non peccetur exceſſu cultus divini ſecundùm quantitatem abſolutam, quia ut dicitur *Eccleſiaſt. 43.* Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſupervalebit adhuc. Et infrà, Exaltate eum quantum poteſtis, major enim eſt omni laude. Peccatur tamen exceſſu ſecundùm quantitatem proportionis: proportio enim debita duo

includit.

includit. Ut non incolatur, qui coli non debet, ſive ut non ſuperinducatur creatura pro creatore, aut cum ipſo colenda; & ne cultus exhibeatur, quem exhibere non oportet, ſive ne ſuperinducatur præter voluntatem ejus, qui colitur voluntate colentis, cultus aliquis: quiſque enim Deus, ut benè obſervavit Auguſtinus, eo colendus eſt modo, quem ipſe præſcripſerit.

* Ejus Partitio, et Species.

Duæ ſunt ſpecies ſuperſtitionis, in quas ea immediatè dividitur; ſcilicet ſuperſtitio cultus indebiti, ſeu incongrui, & ſuperſtitio ratione rei cultæ, illa eſt cultus perverſus veri Numinis, hæc eſt cultus falſi. Dupliciter enim in cultu excedi poteſt; vel enim aſſumitur id, quod non congruit, vel exhibetur ei, cui non congruit, uti initio hujus loci traditum eſt, ubi etiam nomina inſinuantur, quibus eæ ſpecies diſtinguuntur.

Rurſus ſuperſtitio cultus incongrui dividitur in ſuperſtitionem cultus falſi, & cultus ſuperflui.

Cultus falſus dicitur vel ratione falſæ ſignificationis; ut ſi quis Deum colere vellet cæremoniis Judaicis, quæ ſignificant Chriſtum venturum: vel quia imitatur, & ſimulat verum cultum, cùm non ſit; ut ſi quis falſis miraculis, vel teſtimoniis doctrinam fidei confirmare vellet, vel falſas reliquias proponeret. Item ſi quis mutaret formam, vel materiam ſacramentorum, præſertim Euchariſtiæ, animo colendi Deum. Sic hæretici hujus temporis ſuperſtitionem falſi cultus admittunt in ſua cœna: profitentur enim ſe imitari Chriſtum, & ejus inſtitutum ſequi, cùm ſuas inventiones, ſuaque omnia pertinaciter ſectentur.

Superſtitio ſuperflui cultus eſt, cùm præter Eccleſiæ morem ponitur religio in quibuſdam circumſtantiis, vel rebus, in quibus non eſt ponenda; ut in numero, colore, ſitu, v. g. ut tot ſint candelæ, non plures; tot orationes dicantur, non plures, ut cera potius ſit alba, quàm flava, &c.

Superſtitio ratione rei cultæ dividitur in tres ſpecies, juxta *D. Thomam*, idololatriam, divinationem, & obſervantiam ſuperſtitioſam, vel enim colitur diabolus, ut honoretur tanquam numen, & hæc eſt idololatria: vel ut aliquid occultum revelet, & ſic eſt divinatio; vel ut juvet, & dirigat in operando, & ſic eſt ſuperſtitio vanarum obſervationum.

Ubi adverte, Magiam debere referri ad ſuperſtitionem vanarum obſervationum, ſi omnes ſuperſtitiones his tribus ſpeciebus complecti velimus: propriè tamen loquendo diſtinguitur à variis obſervationibus tanquam aliquid deterius. Itaque ſi hoc nomen vanarum obſervationum ſtrictè ſumamus, erunt quatuor ſpecies ſuperſtitionum, ratione rei cultæ, & magia quartum locum obtinebit.

SUPERSTITIONIS ACQUISITIO.

Huc

INVENTORES SUPERSTITIONIS.

Qui Deorum ſimulacra inſtituere, & metum Deorum hominibus ademerunt, & errores addiderunt, inquit *Varro apud D. Aug. lib. 4. cap. 9. de Civit. Dei*.

Micha Ephraimita matri ſuæ ſurripuerat clàm mille centum argenteos nummos: quos cùm illa perdidiſſet, Domino devoverat. Ille urgente conſcientia matri peccatum ſuum faſſus, pecuniam reddidit. Mater cùm pecuniam conſecraſſet, ducentos inde nummos fuſori dedit, ex quibus ille ſignum ſculpſit, & ſimulachrum conflavit. Atque ita Micha in ædicula ſua ephod fecit, & lares: unumque filiorum ſuorum ſacris initiavit, ut eo ſacerdote uteretur, vivebant enim eo tempore (ante Judices) Iſraelitæ ſuo quiſque arbitratu. Cùm autem Levita quidam, generis Judaici, è Bethlehem profectus, Michæ domum veniſſet, annuo ſtipendio ab eo in ſacerdotem fuit ſuſceptus. Paulò pòſt cùm Dan tribus cum 600. hominibus Laim urbem occupatum proficiſceretur: exploratores, quia in Michæ domo ephod, & lares eſſe didicerant, ſuis re indicata, perſuaſerunt, ut per vim & ephod, & ſimulachrum auferrent. Expugnata Lai, eam Dianam vocarunt, & ibi ephod cum ſimulachro erexerunt, & Jonathan Gerſon filius, Moyſis nepos, cum filiis ſuis ſacerdotium obtinuit in tribu Dan, uſque ad tempus captivitatis, quamdiù templum Silunte fuit. *Judicum cap. 17. & 18.*

Quidam volunt, Mercurium primùm inſtituiſſe, quibus ſacris Dii colerentur.

Didymus prodit in libris enarrationis Pindaricæ, Meliſſea Cretenſium Regem Diis primùm rem obiiſſe divinam, ac ritus novos, ſacrorumque pompas introduxiſſe. Hujus porrò filias Amaltheam, & Meliſſam, quæ Jovem puerum caprino lacte, & melle connutrierint. Unde datum mythicis locum confingendi, advolaſſe apes, atque os puerile ſucci blandiſſimi liquore colliviſſe. Meliſſam verò Magnæ matri ſacerdotem fuiſſe inſtitutam primam: unde propagatum mox, ut quibus ejuſdem injungeretur ſacerdotii functio. Meliſſæ item dicerentur. *Lactant. 1. Inſtit. Cæl. lib. 12. cap. 1. & l. 2. c. 3. Antiq. Lect.*

Diod. lib. 4. Æthiopes primos Deos coluiſſe autumat, Ita ſcribens: Aſſerunt autem Deorum apud eos cultum primitùs adinventum, ſacra inſuper, pompas, celebritates, aliaque, quibus Diis honores impenduntur, ab eis fuiſſe reperta. Æthiopum proinde ſacra Diis admodum grata eſſe, Homerus teſtatur, qui in ſua Iliade Jovem, reliquoſque unà Deos introducit in Æthiopiam, tum ad ſacra, quæ eis de more fierent, tùm ad odorum ſuavitatem commigrantes.

Primi omnium Ægyptii, *auctore Herod. lib. 2. & Strab. lib. 17.* Diis, & aras, & ſimulacra, & delubra ſtatuere, ſacrificiaque curarunt, rituſque eos deinde peregrinis commonſtrarunt. Nempè cùm in Judæa veri Dei cognitio haberetur, ſtuduit aſtutiſſimus dæmon, ut ex finitimis Ægyptiis fœdiſſima, & abſurdiſſima promanarent idolomania, Iidem duodecim Deorum nomina primò commenti ſunt. Quæ omnia planè arguunt, eos ab Æthiopibus eſſe oriundos, qui horum omnium fuerunt auctores, ut tradit *Diod. Sab. lib. 3. Enn. 1.*

Primùm poſt Deos in Ægypto regnaſſe ferunt Menam, qui populos colere Deos, ſacraque his facere, menſas inſuper, & lectos ſternere docuit, deliciis aſſuefacientem, & cultiori vitæ. *Diod. Sic.*

Deucalion Deorum primus templa ædificavit, & civitates condidit, ut ait *Apollon. lib. 3.*

ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἐδείματο νηοὺς,
ἀθανάτοις, πρῶτος δ' καὶ ἀνθρώπων βασίλευσιν.

Ejus ætate propter hominum ſcelera pervulgatum illud diluvium in terra Græca accidit.

Euſeb. in præfat. Chron. ſui auctore, Cecrops Diphyes primus omnium Jovem appellavit, ſimulacra reperit, aram ſtatuit, victimas immolavit, nequaquam iſtiuſmodi rebus in Græcia uſquam viſis. Primus Atticæ Rex fuit, & æqualis Moyſis. Alii Telchinibus Rhodiis, alii Hetruſcis hoc tribuunt. *Cæl. lib. 9. cap. 20. A. L. & lib. 29. cap. 24.*

Orpheum Thraca proditur memoriæ Teletas Deorum excogitaſſe primum, itemque ſcelerum expiationes, morborum medelas, prætereàque iræ divinæ averruncationes. *Cæl. lib. 18. cap. 23. A. L. ex Diod. & Lact.*

Primus omnium ex Phœnicia, Cadmus Agenoris filius myſteria, & ſolemnitates Deorum Græciæ tradidit, ſimulacrorum conſecrationes, etiam & hymnos, deinde ex Thracia Orpheus. *Euſeb. lib. 10. de Præpar. Euang.*

Midas Gordii filius Phyrgiæ Rex, ab orpheo ſacrorum ſolemnibus initiatus, Phrygiam totam religionibus implevit. *Juſtin. lib. 11.*

Lycaon Pelaſgi F. Arcadum Rex, auctor fuit humanarum victimarum, infante mactato ad Lycæi aram: quare in lupum inter ipſa ſacra mutatus dicitur. *Pauſ. in Arcad.*

Myſteria apud Eleusinem terræ Atticæ duorum generum celebrabantur, Magna, & Parva. Cereri ſacra erant Magna, Proſerpinæ Parva. Ab Athenienſibus petebat Hercules, ut initiari liceret. Lex id vetebat, qua cavebatur, ne peregrinis impartirentur myſteria. At illi & viri præſignem admirati virtutem, & omnium capacem animum, ſimul etiam amicitia permoti, quæ vetus ferè civitati cum eo intercedebat, ſimul quod Jovis F. eſſet, diceretur que, ne quid abnuerent, cui nil negatum vellent, rationem inierunt, qua nec legi derogaretur quippiam, & nihilominus compotem voti Herculem facerent. Protinus namque Parva inſtituere myſteria, quibus & illum initiarunt. *Cæl. lib. 16. c. A. L.*

Romulus Romanæ conditor urbis, cum legibus, armiſque urbem muniviſſet, ne religio in benè inſtituta civitate deeſſet, collegium fratrum Arvalium, & undecim in eo fratres conſtituit ſacerdotes, quorum inſigne fuit Spicea corona alba infula alligata, quam, dum operantur ſacris, ſingulos geſtare more ſolemni decebat. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26.*

Fama eſt, Romulum Regem Rom. ignem primùm conſecraſſe, virgineſque legiſſe, quas Veſtales vocant. Alii tribuunt id Numæ. *Plut. in Romulo.*

Magnum eſſe pietatis nomen Numæ Pompilii Sabini, Pomponii filii, qui Romæ ſecundus à Romulo regnavit, niſi ſtultitia verius quam juſtitia, ſuperſtitio, non religio, habendus ſit malorum dæmonum cultus. Fuit is autor, ut Martia civitas, & ad id tempus rei bellicæ addicta aris, & ſacellis dæmonû, addiceretur. Dignus ſenex, qui meliora voluiſſet. Nemo tenacior cuſtos fuiſſet religionis, quippe qui hoſtium acceſſu repentè nunciato: Ego, inquit, ſacrificabo. Ædem veſtæ confecit, virgines Veſtales elegit: Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem. Deinde Salios Martis ſacerdotes, exin Pontificem Max. creavit: & ut ſcribit Plinius, ſeptimum collegium ſingulorum inſtituit. Jani templum erexit, pacis, & belli ſignum, quod bello foret apertum, pace verò clauſum. Anum prætereà diviſit in menſes duodecim: primis duobus, Januario ſcilicet, & Februario ſuperadditis, primaſque Romæ leges primus ſanxit: de quo referunt hiſtoriographi, nihil fuiſſe libertatis, quod apud ſuos non exercuit. *Sab. lib. 1. cap. 6. ex Plut.*

Poſtquam Imper. Heliogabalus venit Romam, dato civibus congiario, ſpectaculiſque omnifariam editis, templum ſuo Deo maximum, pulcherrimùmque in palatio erexit, ubi quotidie Hecatomben, & ovium vim mactabat ingentem, odoribus in aram congeſtis, multas optimi vini amphoras infundebat, ut paſſim vini, cruoriſque rivi fluerent, agitabantque choros circa aram, unàque Phœniſſæ mulieres ſaltantes cymbala quatiebant ſenatu, & equeſtri ordine in concionis modum circumfuſo. Adortus inde eſt Martis typum, & Veſtæ ignem, & Palladium, & Ancilla, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, ne quis Romæ Deus, niſi Heliogabalus coleretur. Dicebat prætereà Judæorum, & Samaritanorum religiones, & Chriſtianorum devotionem, illuc transferendas, ut omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret. Sacra P. R. ſublatis penetralibus profanavit. Ignem perpetuum extinguere volvit, & omnes in toto terrarum orbe religiones, ut Heliogabalus Deus unus ubique coleretur: & in penum Veſtæ, quod ſolæ virgines, ſolique Pontifices adeunt, irrupit pollutus. Signum tamen, quod Palladium eſſe credebat, abſtulit, & auro fictum in ſui Dei templo locavit. Matris etiam Deorum ſacra accepit, & adeò debacchatus eſt, ut typum eriperet, & alia ſacra, quæ penitus habebantur condita. Omnes ſanè Deos ſui Dei miniſtros eſſe ajebat, cùm alios ejus cubicularios appellaret, alios ſervos, alios diverſarum rerum miniſtros. Cædit & humanas hoſtias, lectis ad hoc pueris nobilibus, & decoris per omnem Italiam. Inde eò proceſſum eſt, ut uxorem ſuo quæreret Deo ſtultus adoleſcens, primoque illi nomini conjugis palladem admovit, mox negans belligeram Deo conjugem cordi, eſſe, alteram quæritare. Lunæque ſimulacrum eſt ejus juſſu templo illatum, quod Dido, quæ & ipſa fuit Phœniſſa, cùm Carthaginem conderet, ſacraſſe dicebatur. Afri Uraniam vocabant, Phœnices Aſtroarchem: ac tum demum id connubium convenire teſtatus eſt. *Sab. lib. 6. En. 7. ex Lamp.*

Tuisco primus Rex Germanorum, lucos, & nemora, in quibus res divina fieret, conſecravit. Arbitrabatur, cœleſte numen pro magnitudine ſua nec parietibus cohiberi, nec in ullam humanioris, vultuſve fluxæque rei ſpeciem adſimulari debere. Manent adhuc Germanis à luco, quem *Bald*, dicimus, *Balfart. Ballen. Ballengeben*, denominata, deductaque priſcæ ſuperſtitionis vocabula: illud celebrem ob religionem conventum, hæc ad ſacras ædes ſalutatum ſuperos proficiſci ſignificant. *Avent. lib. 1. Annal.*

Mahometus Arabs, Saracenicæ auctor perfidiæ, tertius (quod impio ore jactat homo ſceleratiſſ.) à Moyſe, & Chriſto Opt. Max. cœlo miſſus legislator, duobus vocabulis librum ſuum nuncupavit, Alcorani ſcilicet, & Alfurcani. Alcorani nomen habet à lectione: Alfurcani verò à diſtinctione: ſive quòd vetus teſtamentum à novo, novum à ſeipſo, ab utroque doctrinam ſuam diſcrepantia cœlitùs, ut gloriatur, ſibi tradita diſtinguatur: ſive quòd verſus non uno tempore omnes, ſed diverſis afflatibus diſtinctos acceperit. Nonnulli à redemptione Alfurcanum dictum contendunt, propterea quod iræ divinæ ſubtrahat eos, qui juſſa ipſius exequantur. *VVidmeſtadius.*

Instauratores Superstitionis.

Ancus Martius poſt Tullum Rex creatus, Numæ imitatione ſacrorum uſum continuis bellis penè obſoletum, revocavit, eorundemque ritus in publico propoſuit. In partem fori tum primùm locati ſunt, verùm quia nondum tabulæ æneæ erant in uſu, in quernis excidendos rex curavit. Livius in albo relatos credidit. Sacris per hæc in priſtinum ſtatum reſtitutis, otioſam multitudinem Ancus in agros dimiſit, laudareque palàm diligentem agricolam, ſegnem, & inertem corripere. *Sab. lib. 4. En. 2.*

Sub Josina Rege Scoti à duobus Philoſophis Hiſpanis tempeſtate in Albionem ejectis ab Ægyptio ferarum cultu ad Deum cœli adorandum traducti fuere. Cæterùm Fynnanus cùm patri in regno ſucceſſiſſet, ut Deorum ſimulacra reſtituit, ſic cui quiſque vellet Deo litare, poteſtatem conceſſit. Durcerglios (quos Romani Druydas appellavere) ſacrorum præſides, & interpretes ex tota gente delectos, Græcæ diſciplinæ peritos, in Mona inſula inſtituit: principem illis dedit, cui honoris cauſa ignis præferretur. *H. Boeth. lib. 2.*

Ismanuel Perſarum Rex, cùm armis plurimùm poſſet; tum religionis ſpecie multos mortales in ſui admirationem traduxit, is originem ſuam ad Allem, & Mahumetem referebat. Alles, ut multi referunt, frater patruelis, atque gener Mahumetis extiterat. Filiam namque illius nomine Fatimam uxorem duxerat. Porrò autem poſt Mahumetis mortem, cùm illi in principatu ſucceſſiſſet, Mahumetis legem multis in locis immutavit. Quædam enim ſuſtulit, non pauca etiam adjecit, alia novis interpretationibus ita correxit, ut nova quædam lex gentibus illis videretur: ſic factum eſt, ut dum quidam Mahumetis, quidam verò Allis diſciplinam ſequerentur, Mahumetis ſecta in duas partes diviſa, gentes religione diſſidentes, odiis etiam, quod conſequens erat, diſcinderet. Perſæ namque, qui Allem ſequuti fuerant, reliquos Mahumetis diſciplinis infectos, ut homines impuros, & divinæ legis ignaros, à conſortio ſuo repellebant. Arabes contra Perſas, ut deſertores, atque legis divinæ corruptores deteſtabantur. Alle verò è medio ſublato, Hocem illius filius dignitatis, atque nefariæ religionis hæres extitit, & eundem exitum vitæ habuit: veneno namque periit. Alius deinde illius frater eodem nomine diſciplinam eandem uſque ad extremum ſpiritum vitæ retinuit. Huic duodecim filii fuere, quos Perſæ viros divinos, atque Deo propter egregiæ religionis, & pietatis ſtudium valdè caros arbitrantur. Unus tamen, qui plurimùm inter omnes excelluiſſe putabatur, appellatus fuit Muza Caim. Poſt horum hominum memoriam, Allis nomen apud multas nationes in obſcuritate latuit: Homaris diſciplina, qui Mahumetis religionem ſummo ſtudio conſervavit, inviolata permanſit: donec tandem Sophi, Muza Caimi ſtirpe propagatus, cùm primû ſapientiæ, & religionis oſtentatione multos ad ſui ſtudium allexiſſet, tum armis eam ſectam, quam ſequebatur, eſſe veram Dei legem demonſtrare ſummo ſtudio concupivit. Cùm igitur illi nationes multæ nomina darent, evenit, ut Allis decus è tenebris emerſum videretur, & nomen illius extinctum reviviſceret. Is pro linteis ſpiris, quibus Mahumetani caput intexerant, pileos è lana conſtipata colore viridi confectos, & ſenis utrinque gradibus diſtinctos, eo artificio, ut vel protendi, vel contrahi poſſint, ad tegendum caput inſtituit, quibus ii, qui Allis diſciplinis adhærent, ab aliis Mahumetanis, qui Allis memoriam odio perſequuntur, internoſci facillimè poſſent. Hoc autem numero duodenario, quo pileos diſtinxit, memoriam filiorum, quos Hocem ſuſceperat, conſervare decrevit. Hujus tandem ſatu propagatus Iſmael Aidami filius, qui Sophi nepos extiterat, variis caſibus exercitus, & ſapientiæ opinione, & ejuſdem religionis, quam diximus, patrocinio tantùm nomen fuit apud Perſas conſequutus, ut omnes libentiſſimè illius imperio ſubderentur. Fuit enim ſingulari animi magnitudine, & liberalitate præditus, multaſque victorias adeptus, imperii fines latiſſimè protulit, & cum Selymo Turcar. Imp. conflixit, ad eaſque tandem opes pervenit, ut nec ipſi Selymo cedendum arbitraretur. Is cùm ditionis amplificandæ curam ſuſciperet, tum etiam religionis propagandæ miro ſtuſtio tenebatur, & partim precibus, partim minis, ut multi pileum illum geſtarent, & aliis inſtitutis, & precationum formulis, quas idem in ſcriptis reliquerat, uterentur, operam enixè dedit. *Oſor. lib. 9. rer. Em.*

Magistri Superstitionis.

Hæretici, ut à vera religione deſciſcunt, Impii ut eandem novis commentis inficiunt, Superſtitioſi ſunt cenſendi.

Qui

Populi, Civitates.

Ægyptii divinarum rerum ſtudioſiſſimi fuerunt: unde Macrobius Ægyptum vocat artium matrem.

Legimus, in Ramoth Galaad unctum eſſe in Regem Jehu, qui Achab ſubvertit domum. In hac urbe trans Jordanem in poſſeſſione tribus Gad idolum conſecratum fuit, quæ habitabatur